THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY
595.7
R73m



# MANTISSA
# INSECTORUM
## EXHIBENS SPECIES NUPER IN ETRURIA COLLECTAS

A

## PETRO ROSSIO

ADIECTIS FAUNAE ETRUSCAE ILLUSTRATIONIBUS,
AC EMENDATIONIBUS.

PISIS

EX TYPOGRAPHÌA POLLONI

*PRAESIDUM FACULTATE*

MDCCXCII.

1792

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/mantissainsector00ross

R73m




*Joan Tempesti del*

*Joseph Calendi Sculp:*
*Raph. Morghen direxit*

Entomology Research 29 Apr 15 Quaritch 613

313179

# MANTISSA
## INSECTORUM

Curiosum nobis ingenium Natura dedit, & artis sibi ac pulchritudinis suae conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formata solitudini ostenderet.

Senec. *de otio.*

# LECTORI.

En tibi, Entomophile, Insectorum species a me nuper in Etruria collectas, quas oro excipias animo ipso indulgenti quo superiores labores meos complexus es. Illustrationes, ac emendationes specierum in Fauna Etrusca editarum addidi, easque partim occasione data, suo loco, partim in Operis calce, quemadmodum et Icones praestantiora Insecta exhibentes ibidem indicatas invenies. Vale.

*Dabam Pisis Prid. Kal. Mart.* 1792.

# CLASSIS PRIMA.

## ELEUTERATA.

### I. *LUCANUS.*

*Penicilli* duo sub labio palpigeri. *Antennae* pectinato-fissiles.

1. L? Virescens.

*Long.* 7. l. *Lat.* 2. l.

Viridi-aeneus, maxillis tridentatis. *F. Syst. App.* 817.
*Trogossita virescens. Oliv. Ent. n.* 19. 8. *t.* 1. *f.* 5.
Major *L. Caraboide*, et oblongior. Antennae aeneo nigrae, capite longiores, undecim articulatae, articulis tribus ultimis extrorsum crassioribus. Maxillae crassae, prominentes, capite breviores, tridentatae. Caput viridi aeneum punctulatum depressum, antice canaliculatum clypeo apice obtuse quadridentato. Thorax viridi-aeneus depressus, postice rotundatus. Scutellum inconspicuum. Elytra viridi-aenea punctato substriata. Subtus omnino concolor.
Lectus in silvis Pisanis.

### III. *SCARABAEUS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Labium* elongatum: apicibus elongatis, palpigeris. *Antennae* clavato-lamellatae.

2. S. Punctulatus.

Scutellatus, muticus, mandibulis laciniatis, clypeo triangulari,

thorace punctato, elytris sublineatis, punctisque majusculis inordinate excavatis. *Fn. Etr.* 1. 9. 19. *t.* 1. *f.* 1.

*S. Punctatus Villers Ent.* 1. 40. 88. *t.* 1. *f.* 3.

Statura et magnitudo feminae *S. Sileni*. Elytra late lineata, lineis laevibus, vix elevatis, obliquis, convergentibus. Femora postica crassa. Niger immaculatus. Magnit. variat.

Habitat silvas, et hortos frequentissimus.

### 3. S. Fossor.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. $\frac{1}{3}$ l.

Scutellatus, thorace inermi retuso, capite tuberculis tribus, medio subcornuto. *F. ſp.* 15. 59. *Fn. ſv.* 384.

*Geoff. Ins.* 1. 82. 20.

*De Geer Ins.* 4. 264. 8. *t.* 10. *f.* 7.

*Villers Ent.* 1. 17. 15.

*Scaeff. Icon. t.* 144. *f.* 7?

Habitat in montuosis.

### 4. S. Sordidus.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{3}$ l.

Scutellatus, capite tuberculato, thorace nigro, margine pallido puncto nigro, elytris griseis. *Fab. ſp.* 17. 68.

Statura *S. Conspurcati*, at paullo major. Clypeus rotundatus, integer, niger, macula utrinque pallida, tuberculisque tribus intermedio subcornuto. Thorax laevis, glaber, ater margine pallido: punctum utrinque nigrum in margine pallido. Elytra striata grisea sutura obscuriore. Subtus nigro griseoque variegatus pedibus pallidis. F.

Habitat cum congeneribus.

### 5. S. Rubidus.

Niger, abdomine elytrisque ferrugineis, thorace antice vix excavato, capite tuberculis tribus. *Oliv. Ent.* 3. 81. 77. *t.* 26. *f.* 224.

Similis *S. Fimetario*, at triplo major. Caput nigrum antice subemarginatum, lateribus angulatum, supra tuberculis tribus, intermedio elevato acuto. Thorax inermis, punctatus, antice, vix excavatus, niger lateribus ferrugineis. Scutellum nigrum. Elytra ferruginea striata. Corpus subtus, pedesque nigra, tarsis abdomineque obscure ferrugineis. *Oliv.*

Habitat Florentiae.

### 6. S. Irroratus.

*Long.* 8. l. *Lat.* 4. l.

Scutellatus, thorace rugoso fossula utrinque impressa, capite subcornuto, elytris rugoso sulcatis nigris, rufo-submaculatis. *Fn. Etr.* 1. 7. 16.

Clypeus marginatus, carinatus, et in medio corniculo brevissimo armatus. Antennae nigrae. Thorax subrugosus margine crenulato. Scutellum parvum. Elytra antice coarctata, late rugoso-sulcata, maculis, seu punctis plurimis obsoletis rufis, vix distinguendis aspersa. Femora antica duobus denticulis interne instructa. Tibiae anticae quadridentatae.

Habitat Florentiae, et Pisis rarus.

### * 7. S. Furcifer.

*Long.* 8. l. *Lat.* 4. l.

Scutellatus, muticus, niger, elytris rugosis, femoribus anticis lamina, et dente valido instructis, pectore bifurcato.

Statura, et magnitudo *S. Irrorati*. Totus niger obscurus. Clypeus marginatus, carinatus, corniculo, seu potius lineola vix apparente. Thorax magnus circularis, convexus, subrugosus fossula laterali. Elytra subrugosa ad latera angustata. Scutellum parvum fere nullum. Tibiae anticae longae, arcuatae, quadridentatae absque tarsis. Femora antica intus, et inferne appendice, seu lamina cuneiformi porrecta, utrinque dentata; denteque altero acuto superne instructa. Pectus spinis duabus validis instar furcae armatum. Cum a

praecedente differat tantum pectore bifurcato, et lamina cuneiformi femorum anticorum, alterum esse sexum asserere posse videtur.
Raro lectus.

8. S. Rufipes.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. l.

Scutellatus, muticus ater, thorace glabro, nitido, elytris striatis. *F. ſp.* 20. 84.
*S. Rufipes* muticus ater, antennis pallidis, elytris laevibus. *Linn. Syst. Nat.* 559. 86. *Fn. Sv.* 403.
*De Geer Ins.* 4. 263. 7. *t.* 10. *f.* 6.
*Geof. Ins.* 1. 83. 21. *Schrank E. I.* 30.
Habitat in stercore, infrequens.

9. S. Plagiatus.

*Long.* 2. l. *Lat.* 1. l.

Scutellatus, muticus niger, elytris plaga rufescente *F. ſp.* 21. 87. *Linn. Syst. Nat.* 539. 85.
*Schrank E. I.* 28.
Affinis *S. Subterraneo*, et forte mera varietas. In singulo elytro macula oblonga rufescens juxta suturam.
Habitat in stercore bovino.

* 10. S. Fuscus.

Scutellatus supra fuscus, subtus niger, elytris tomentosis, striatis.
Paulo minor *S. Quisquilio*, et totus supra obscure fuscus pube subferruginea: subtus niger nitidus. Clypeus rotundatus, marginatus, tuberculo solitario vix apparente. Antennae capitulo trifido. Tibiae anticae tridentatae. Elytra subtilissime, atque obsolete punctato-striata. Tarsi subrufi.
Habitat sub corticibus.

11. S. Lunaris.

Excutellatus, thorace tricorni intermedio obtuso bifido, capitis

cornu erecto, clypeo emarginato *F. ſp.* 24. 108. *Linn. Syst. Nat.* 543. 10. mas.

*Copris* capitis clypeo lunulato, margine elevato, corniculo denticulato. *Geof. Ins.* 1. 88. 1. femina. Hunc Clar. D. *Olivier* speciem diversam esse a praecedente credit, et distinguit sub nomine *S. Emarginati t.* 8. *f.* 64. *a. b.* Mihi tamen liceat, venia Celebris Viri, in pristina manere sententia, donec res aliter se commonstret ac visa pluries. Confer *Fn. Etr.* 1. 11. 24.

Junior variat colore castaneo.

Habitat uterque simul in stercore bovino pascuorum.

## IV. *TROX.*

*Palpi* quatuor capitati. *Maxillà* bifida. *Antennae* clavato-lamellatae.

### * 12. T. Niger.

*Long.* 3. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* 2. l. vix.

Niger, thorace marginato inaequali, elytris punctato striatis, lineis elevato spinosis.

Insectum idem quod dedimus in *Fn. Etrusca* sub dubio nomine *T. Luridi* qui diversus.

Corpus totum obscure nigrum. Thorax marginatus, inaequalis, villo brevi rufescente ciliatus, late dorso sulcatus, at haud spinosus. Elytra marginata, punctato-striata, lineis tantum quinque in singulo elytro elevato-spinosis. Videtur novus.

Habitat Florentiae.

## V. *MELOLONTHA.*

*Maxilla* brevis cornea: apice multidentata. *Antennae* lamellatae.

13. M. RUFICORNIS.

Villosa testacea abdomine albicante. *F. ſp.* 37. 8. *Mant.* 20. 12.

*Voet. Scar. t.* 6. *f.* 50.

Statura *M. Solstitialis*. Caput nigricans antennis rufis. Thorax et pectus villis densis albis tecta. Elytra testacea immaculata. Abdomen albidum, ano nigricante. Pedes nigri. F. Variare saepe videtur magnitudine, et colore obscuriori.

Habitat in plantis rarior.

14. M. ABDOMINALIS.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. ½ l. vix.

Capite thoraceque ceruleo-pilosis, elytris testaceis, abdomine albo-villoso. *F. ſp. App.* 496.

Paulo minor *M. Horticola*, et thorax magis rotundatus. Species distincta.

Habitat Pisis rarior.

15. M. ARGENTEA.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. l. et ultra.

Clypeo marginato nigra, subtus argenteo-nitens, elytris testaceis. *F. ſp.* 44. 48?

*S. Farinosus* scutellatus, muticus niger, polline virescente, elytris abbreviatis *Fn. Sv.* 399.

*S. Argenteus Scop. Ent. Carn.* 9.

*S. Argenteus Pod. M. G.* 20.

*S. Farinosus. Vill. Ent.* 1. 30. 46.

Statura, et magnitudo fere *S. Squamosi*. *Vill.* Thorax et elytra squammis, seu polline luteo-virescente tecta, nonnihil abbreviata. Abdomen ſupra nigrum, subtus viridi-argenteum. Tibiae anticae bidentatae. Pedes plerumque testacei, sed interdum nigri. Variat magnitudine duplo minori, unde forsan in hac specie determinanda orta confusio. Tibiae

anticae bidentatae, et dorsum sub elytris nigrum visae sunt notae constantes. Varietas minor, forte est alter sexus.
Habitat in plantis, et floribus.

16. M. Squamosa.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. l.

*Scarab. Squamosus* scutellatus, violaceus, squammis subtus argenteis, supra violaceis, tibiis anticis tridentatis. *Villers Ent.* 1. 30. 47.
*M. Farinosa F. Mant.* 23. 60.
*Geoff. Ins.* 1. 13. *l' Ecailleux violet.*
Statura praecedentis. Color elytrorum laete violaceus, splendidus. Abdomen subtus argenteum, supra lutescens. Tibiae anticae tridentatae. Tarsi nigri.

* 17. M. Dubia.

Nigra, cinereo hirta, corpore virescenti-argenteo, elytris testaceis.
Descriptio *M. Pulverulentae* F. huic nequaquam competere videtur. Statura praecedentium, sed duplo minor. Caput, et thorax nigra, squammis viridi-argenteis vix aspersa, et pilis densis cinereis longioribus hirta. Elytra testacea abdomine breviora, pilosa. Corpus subtus viridi-argenteum pilosum, supra nigrum. Tibiae anticae bidentatae. Pedes nigri. *Obs.* In hac antennae, et palpi omnino nigri; in praecedentibus rufi, antennaeque ad basin rufae.
Habitat in plantis.

## VIII. *HISTER.*

*Maxilla* unidentata. *Labium* corneum, cylindricum integrum. *Antennae* clava solida.

18. H. Major.

Ater, elytris, substriatis, thoracis marginibus ciliatis *F. Syst.* 52. 1. *Mant.* 32. 1. *Linn. Syst. Nat.* 566. 2.

*Voet. Coleopt. t.* 31. *f.* 6.

Simillimus *H. Unicolori*, at duplo major, et thorax pilis ferrugineis densis ciliatus. F.

Gaudeo hanc speciem indigenam esse etiam Etruriae, sic enim magis magisque asserere possum quod manifeste differt ab *H. Laevo Fn. Etr.* 1. 28. 63. forma corporis magis subquadrata, minusque depressa; capite minus exserto, imo fere toto in thoracem retracto; labio superiori, seu clypei apice emarginato, excavato, neque elongato uti in *H. Laevo*; mandibulis diversis, et aequalibus; clava antennarum subrufa; thorace antice, et lateribus pilis ferrugineis dense ciliato, absque foveola utrinque impressa; sterno antice acuto, aliisque notis quas referre supervacuum.

Habitat in stercore bovino rarus.

### 19. H. Cyaneus.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. l.

Thorace aeneo, elytris cerulescentibus *F. ſp.* 60. 3.

Descriptio *Fabricii Syst. Ent.* competit nostris speciminibus, quae omnino conveniunt cum iis e Svecia a *D. de Paykull* acceptis. Color aeneus thoracis, quadam tantum incidentia lucis conspicuus.

Habitat Pisis in stercore bovino non rarus.

### * 20. H. Maculatus.

Niger nitidus, elytris pallide rubris, striis curvis, anterioribus obsoletis, macula magna baseos nigra ad suturam communi.

Descriptio *H. Bipustulati Schrankii E. I.* 67. cum nostris minime convenire videtur.

Statura *H. Quadrimaculati* a quo tamen differt clypeo capitis magis prominulo, magisque ad apicem coangustato, acuminato. Differt antennis clava rufa, non nigra; thorace linea ante marginem destituto; elytrisque omnino pallide-rubris, praeter maculam, et suturam quae nigra sunt. Abdomen in hoc magis globosum, et tibiae anticae quadridentatae in *H.*

*Quadrimaculato* rarius, et profundius tridentatae. Macula baseos elytrorum inaequalis, unica, et ita ad suturam posita, ut junctis elytris formam referat subquadratam. Ab *H. Bimaculato* magis etiam differt, cujus, praeter alias, nota constans est foveola seu punctum impressum ad latera antica thoracis.

Habitat cum congeneribus in stercore bovino.

* 21. H. MINOR.

*Long.* 1. $\frac{2}{3}$ l. *Lat.* 1. l.

Ater nitens, elytris subdepressis striatis, striis tribus integris, binisque interioribus abbreviatis, clava antennarum ferruginea.

Statura, et magnitudine fere convenit cum figura a *Villers Ent. t.* 1. *f.* 7. exhibita ad indicandum *H.* 12*-striatum Schrankii*, scilicet *H. Depresso* paulo major, magisque convexus. Caput parum prominens fronte impressa, apice attenuatum. Antennae clava ferruginea. Thorax laevis. Elytra abdomine paulo breviora, striata, striis in singulo tribus vix obliquis, integris; et duabus suturae proximis abbreviatis ab apice usque ad medium diductis. Tibiae anticae quadridentatae. Differt ab *H. Depresso*, praesertim magnitudine, et corpore elytrisque minus depressis.

Habitat sub ligno putrido, et sub corticibus frequens.

* 22. H. DECEMSTRIATUS.

Ater nitens, elytris punctato-striatis, striis suturae proximis antice coeuntibus.

Accedere videtur ad *H. Abbreviatum* F. Statura rotundo-globosa. Magnitudo fere *H. Sulcati*, at saepe major. Ater nitidus. Antennae totae nigrae. Caput post mortem intra thoracem retractum. Thorax omnino laevis. Elytra apice truncata, punctato-striata striis in singulo quinque, prima marginis exterioris obliqua abbreviata, secunda, tertia, et quarta parum obliquis, et ad apicem productis, quinta suturae proxima recta, et cum praecedente antice adeo juncta,

quasi ac una eademque esset stria recurrens. Nota haec constans et singularis, etsi quid simile in *H. Aeneo* interdum observetur. Inter quartam vero et ultimam striam, alia interior abbreviata ab apice elytri extenditur usque ad dimidium. Posteriora abdominis elytris paulo longiora.
Habitat cum congeneribus frequens.

### * 23. H. Duodecimstriatus?

*Long.* 1. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Ater, nitens, elytris duodecim striatis, antennis ferrugineis.
Duae obversantur difficultates ne mihi suadeam hunc esse verum *H, 12-striatum Schrankii E. I.* 70. *Villers Ent. t.* 1. *f.* 7. nempe magnitudo minor, et color antennarum a *Schrankio* praetermissus, qui in nostris specimin. ferrugineus est: at cum nullum alium noverim cui magis Cl. Viri descriptio competat, nomen idem servandum esse duxi.
Statura omnino praecedentis, sed paulo minor. Antennae ferrugineae. Caput retractum fronte non impressa. Thorax laevis. Elytra abdomine breviora, convexa, striata striis minutissime punctatis. *In singulo sex a basi ad apicem decurrunt ita ut aequalibus a se distantes spatiis discum totum occupent.* Pedes nigri interdum picei.
Habitat in truncis arborum emort. non rarus.

### 24. H. Sulcatus.

Ater, thorace, elytrisque punctato-sulcatis, apice retusis. *Fn. Etr.* 1. 30. 70. *t.* 11. *f.* 3.
*H. Striatus, Forster N. I. C. n.* 11.
*H. Globulosus. Olivier. Ent. t.* 2. *f.* 15. *a. b.*
Habitat in stercore equino pascuorum, primo vere.

### * 25. H. Parvulus.

*Long.* $\frac{3}{4}$ l. *Lat.* $\frac{1}{3}$ l.

Ater, elongatus, elytris laevissimis nitidis, antennis, pedibusque ferrugineis.

Minor semine Oryzae. Statura corporis elongata. Laevis, nitidissimus, ater, pedibus exceptis, antennisque a fractura ad clavam ferrugineis. Elytra admodum abbreviata, convexa. Abdomen apice attenuatum.

Habitat in ligno putrescente, hieme non rarus.

* 26. H. Pusillus.

Niger, subnitidus, elytris punctatis; thorace utrinque ad marginem sulco longitudinali impresso.

Minor *Pediculo*, eodemque modo longiusculus. Niger subnitidus. Antennarum clava ferruginea. Thorax sulco utrinque ad marginem longitudinali profunde excavato. Elytra abbreviata, undique punctulata punctis impressis, armato oculo manifeste conspicuis, unde nitoris defectus.

Habitat sub arborum cortice cum congeneribus, rarior.

* 27. H. Atomos.

Ater laevissimus nitidus, elytris subintegris, capite toto exserto.

Vix major semine Papaveris. Cum *H. Minimum in Fn. Etr.* 1. 30. 71. dedimus, eo minorem nullum inveniri posse visum, at revera hic duplo minor, et statura diversus. Corpus subrotundum, globosum, atrum, laeve, nitidum; in *H. Minimo* ovatum. Differt etiam antennis nigris clava concolori, capite parvo toto exserto, elytris vix abbreviatis.

Habitat sub cortice Ulmi mens. Februar. (*a*)

---

(*a*) *Characteres indicati in speciebus a me descriptis constanter observati in pluribus individuis. H. Pygmaeum, qui apud nos etiam habitare videtur, cum authores in eo describendo nimis dissentiant, erroris periculo praetermisimus, itemque alios, quorum differentiam oculis magis distinguere, quam verbis exprimere datum.*

## X. *DERMESTES.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* corneum, obtusum, integrum. *Antennae* clavato-perfoliatae.

### 28. D. Vulpinus?

*Long.* 4. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{2}$ l.

Oblongus laevis niger, thoracis lateribus cinereo-villosis, subtus albidus. *F. ſp.* 64. 9.

*D. Cadaverinus Fn. Etr.* 1. 33. 77. videtur huc referendus.

Mea specimina conveniunt cum descriptione *Fabricii*. Femora postica etiam basi cinereo-fasciata. Magnitudo variat. Speciem e descriptionibus tuto determinare non potui.

Habitat cadavera.

### 29. D. Trifasciatus.

*Long.* 1. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* $\frac{1}{2}$. l.

Ovatus, niger, elytris fasciis tribus undatis cinereis. *F. Mant.* 34. 7.

*Byrrhus* fuscus, fasciis elytrorum transversis cinereis. *Geof. Ins.* 1. 112. 5.

*Vill. Illustr.* 4. 219.

Magnitudo, et statura *D. Undati*. Caput nigrum. Thorax niger margine baseos cinereo. Elytra nigra fasciis tribus undatis, punctoque apicis cinereis. Corpus nigrum. F.

Elytrorum fasciae interdum obliteratae. De genere dubitat *D. Villers l. c.*

Habitat in plantis rarus.

### 30. D? Dentatus.

Elongatus hirtus, niger, elytris testaceis. *Fn. Etr.* 34. 82. *t.* 3. *f.* 2. *et add.*

Insectum forte novi generis.

*An. Cantharis Serraticornis Scop. E. Carn.* 135? Sed antennae differunt paullulum a descript. *Scopolina*. Variat magnitudine.

Nidulatur in ligno antiquo. Mens. Jun. et Jul. saepe inveni in postibus fenestrarum, et januis domesticis exeuntem e factis foraminibus; sed ruri etiam lectus in floribus.

31. D. Fornicatus.

*Long.* 2. l. *Lat.* 1. l. et ultra.

Fuscus obscurus, corpore ovato laevi fornicato, antennis longissimis: clava subulata. *De Geer.* 4. 216. 9. *t.* 8. *f.* 15. *Villers. Ent.* 1. 57. 46.
Genus incertum, at facies *Dermestis*. Antennae clava elongata apice subulato, capite thoraceque paulo longiores.
Habitat in truncis cariosis.

* 32. D. Fuliginosus.

Ovatus ater, antennis ferrugineis.
Statura, et magnitudo *D. Lardarii*. Totus ater, et veluti fuligine obductus. Antennae subrufae. Alae fuscescentes. Accedere videtur ad *D. Atrum de Geer. Ins. t.* 4. 223. 1. *t.* 18. *f.* 7. at differt colore aterrimo, et statura breviori.
Habitat in arborum carie frequens.

33. D. Bicolor.

Oblongus niger, subtus testaceus, elytris striatis. *F. ſp.* 64. 8.
Statura *D. Murini*, sed paullo major. Totus superne niger, capite, thoraceque praesertim ad latera villis fulvo luteis tectus; inferne testaceus. Elytra substriata.
Habitat in truncis arborum exsiccatis.

* 34. D. Dubius.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. l.

Cyaneo-niger subhirtus, elytris rubris.
Insectum forte novi generis. Primo intuitu *Cantharis*, aut *Lagria*, aut *Clerus* videtur. Corpus totum cyaneo-nigrum, elytris exceptis rubris. Statura *D. Sanguinicollis*, at paullo major. Caput exsertum hispidulum. Palpi quatuor inaequales

subfiliformes. Antennae porrectae, thorace breviores, clavatae clava ex articulis tribus composita, primo, et secundo apice oblique truncatis, extimo acuminato. Thorax rotundatus, emarginatus, punctulatus, subhirtus, lateribus posticis paullulum reflexis. Elytra integra tenuissime punctulata, rubra nitida, ejusdemque coloris elytrorum *Bostr. Capucini*. Alae nigrae. Tarsi quatuor.

Lectus juxta sepes in silvis April. m.

## XII. *BOSTRICHUS*.

*Maxilla* cornea. *Labium* cylindricum integrum, apice palpigerum. *Antennae* clava solida.

### 35. B. Calcographus.

Ater, elytris praemorso-dentatis rufis. *F. ſp.* 64. 4.

*Dermestes Chalcographus* ater, elytris praemorso-dentatis rufis, lateribus, basique nigricantibus. *Linn. Syst. Nat.* 562. 8. *Fn. Sv.* 417.

Duplo, aut triplo minor *B. Typographo*. Antennae testaceae. Corpus glabrum. Colore variat.

Habitat sub arborum cortice.

### 36. B. Pygmaeus.

Ater nitidus, elytris integris rufis, abdomine retuso. *F. Mant.* 37. 11.

Statura, et summa affinitas *B. Scolyti*, at triplo minor, et elytra rufa. F.

Habitat intra cortices arborum emortuarum.

### 37. B. Crenatus.

Glaber ater, elytris integris piceis, crenato-striatis. *F. Mant.* 37. 10.

Statura, et magnitudo *B. Scolyti*. Caput, et thorax laevia, atra, immaculata. Elytra integra picea, crenato-striata. Pedes picei. F.

Habitat in truncis arborum.

38. B. LIGNIPERDA.

Villosus testaceus, corpore nigricante, tibiis quatuor posticis serratis. *F. Mant.* 37. 12.

Paullo major *B. Piniperda*. Caput nigricans antennis testaceis, articulo primo longiori, crassiori incurvo, ultimo clavato. Thorax, elytra, abdomen villosa testacea immaculata. Elytra striata. Pedes breves validi testacei, tibiis quatuor posticis serratis. Optime F.

Habitat in ligno.

39. B. VARIUS.

Subvillosus, corpore nigro, cinereoque vario. *F. ſp.* 64. 8.

Statura, et magnitudo *B. Piniperdae*, sed paulo latior, et brevior. Antennarum clava acuminata.

Habitat cum praecedentibus.

* 40. B. ATER.

Glaber niger nitidus, elytris integris, antennis pedibusque rufis.

Statura *B. Piniperdae*, at minor, et ab eo distinctus etiam colore magis atro, magisque glabro, laevi, nitido.

Habitat in ligno.

XV. *ANOBIUM.*

*Palpi* quatuor clavati. *Maxilla* obtusa dentata. *Labium* integrum. *Antennae* filiformes.

* 41. A. PUNCTATUM.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Griseo-fuscum, elytris striatis, punctisque excavatis, thorace in medio gibboso.

*Ptinus Punctatus* griseo-fuscus elytris striatis, punctisque excavatis. *De Geer Ins.* 4. 230. 3.

Statura omnino *A. Pertinacis*, cujus forte varietas. Antennae fuscae, tres articuli ultimi majores. Thorax in medio gibbus, margineque postico parum reflexo. Elytra punctato-striata.
Habitat in ligno.

## XVI. *PTINUS*.

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* bifidum. *Antennae* filiformes.

### * 42. P. Longipes.

Testaceo-flavus pilosus, antennis, pedibusque longissimis.
Statura, et magnitudo *P. Furis*. Totus testaceo-flavus pilosus, alatus. Antennae corpore fere duplo longiores. Oculi nigri. Thorax elevatus, tuberculosus. Elytra laevia. Pedes longissimi.
Habitat Florentiae.

### * 43. P. Variegatus.

Thorace bituberculato, elytris nigris albo-fasciatis, antennis, pedibusque cinereo nigroque variis.
Statura *P. Furis*, at fere duplo major. Antennae corpore breviores fuscae, articulis apice cinereo-tomentosis. Thorax bituberculatus, cinereo rufescens. Scutellum cinereum. Elytra nigra laevia, nitida, punctato-striata fasciis duabus, altera baseos, altera apicis undulatis candidis. Pectus, abdomen, pedes cinerei femoribus nigro annulatis.
Habitat Florentiae.

### 44. P. Latro.

Thorace bidentato testaceus, immaculatus. *F. ſp.* 73. 6.
Statura, et magnitudo *P. Furis*. Antennae longitudine corporis. Thorax angustus dentibus dorsalibus binis. Elytra punctato-striata.
Habitat in ligno.

## XIX. *SPHAERIDIUM.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Labium* quadratum emarginatum. *Antennae* clava perfoliata.

### 45. S. Fimetarium.

Atrum immaculatum, elytris laevissimis. *F. ſp.* 79. 9.

Parvum, et vix magnitudine seminis Oryzae. Statura oblongior quam in congeneribus. Totum atrum nitidissimum. Species quidem distincta, non varietas uti errore dictum in *Fn. Etrusca.*

Habitat in stercore bovino rarius.

### 46. S. Pulicarium.

*Long.* $\frac{3}{4}$ l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Nigrum oblongum, elytris abbreviatis, abdomine acuto. *F. ſp.* 79. 12.

Synonymia Authorum errata. *Derm. Pulicarius Linn. et Anthribus Geof. Ins.* 1. 308. 4. *Sph. Pulicarium* non indicant. Corpus oblongo-globosum, atrum, laeve, nitidissimum. Antennae tenues longitudine thoracis clava perfoliata. Elytra armato oculo vix marginata, abbreviata. Abdomen apice acutum. Pedes subrufi.

Saepe lectum hieme in truncis arborum emort.

### 47. S. Luteum.

Luteum, elytris pubescentibus laevibus. *F. Mant. App.* 378. 3-4.

*N. Veris. Fn. Etr.* 1. 60. 147. *t.* 2. *f.* 12. nomen delendum, et huc referenda descriptio.

Habitat medio vere in floribus Crataegi.

## XX. *TRITOMA.*

*Palpi* anteriores securiformes. *Labium* emarginatum. *Antennae* clavato perfoliatae.

48. T. Bipustulata.

Atra, elytris macula laterali coccinea. *F. Syst. 68.* 1.
*Tritoma Incerta Fn. Etr.* 1. 48. 119.
Synonymia *Geoffroyana* falsa, occasionem in *Fn. Etr.* dubitandi praebuit.
Habitat sub arborum cortice. Mox lecta frequentior.

49. T. Sericea.

Nigricans holosericea, pedibus testaceis. *F. ſp.* 44. 6.
Statura, et magnitudo *Coc. Minutissimae*. Corpus totum cinereo holosericeum. Antennae, pedesque testacei.
Habitat in arborum truncis.

## XXI. IPS.

*Palpi* brevissimi aequales articulo ultimo obtuso. *Maxilla* bifida. *Labium* breve emarginatum. *Antennae* perfoliatae.

* 50. I. Fallax.

Picea laevis nitida: antennis pedibusque rufis.
*An. I. Ruficornis Olivier?*
Statura, et facies omnino *I. Taxicornis Fn. Etr. Herbst Arch.* 21. sed dimidio minor, et color elytrorum obscurior. Antennae ad apicem tantum clavatae clava perfoliata, diversae ab antennis *I. Taxicornis*, eam ab illa plane distinguunt.
Habitat sub corticibus.

* 51. I. Testacea.

Oblonga testacea immaculata.
Statura *I. Crenatae*, et paulo oblongior. Corpus depressum, immaculatum. Antennae testaceae. Oculi nigri. Thorax subquadratus, testaceus sulco medio impresso longitudinali obsoleto. Elytra laevissima, et abdomen nigrum praecipue distinguunt a *N. Ferruginea*.
Lecta in arculis insectorum.

* 52. I. Atra.

Atra, oblonga nitida, elytris striatis, thorace puncto utrinque impresso, antennarum clava, pedibusque subrufis.
Minor *I. Crenata*, et minus depressa. Antennae longitudine thoracis clava rufa pilosa. Thorax ater nitidus, latitudine elytrorum, emarginatus, punctulatus, punctoque utrinque majore excavato. Elytra atra nitida, subdepressa laeviter striata. Pedes subrufi.
Habitat in ligno putrido.

## XXIV. *SILPHA.*

*Labium* cordatum, emarginatum, crenatum. *Antennae* perfoliatae.

53. S. Laevigata.

*Long.* 6. l. *Lat.* 3. l.

Atra, elytris laevibus, subpunctatis. *F. ſp.* 87: 13.
*Peltis* nigra tota elytris laevibus, punctis minimis excavatis.
*Geoff. Ins.* 1. 122. 8.
*Raj. Ins.* 90. 9.
*Silpha Polita Sulz. Hist. Ins. t.* 2. *f.* 16.
Habitat in hortis, et silvis frequens.

## XXVI *NITIDULA.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* cylindrica membranacea. *Labium* cylindricum. *Antennae* clava solida.

* 54. N. Maculata.

*Long.* 1. $\frac{2}{3}$ l. *Lat.* 1. l.

Testacea pubescens, elytris maculis tribus fuscis, pone medium transversim positis.
Antennae longiusculae. Oculi nigri. Thorax subquadratus,

angulis posticis acutis. Elytrorum maculae oblongae, obsoletae; in singulo elytro una, et media suturae communi. Femora crassiuscula.

Habitat sub corticibus rara.

### 55. N. Strigata.

Ovata fusca, thoracis margine, elytris margine, lineola baseos, strigaque apicis fulvis. *F. Mant.* 51. 7.

Media. Caput fuscum antennis clavatis, clava apice ferruginea. Thorax laevis, fuscus margine pallide-fulvo. Elytra laevia, nitida, margine, lineola baseos lunata, strigaque apicis incurva fulvis. Corpus nigrum. Pedes fulvi. F. Color elytrorum fusco-niger lineolis fulvis circumscriptus, si illum oculi tantum advertant, eleganter pictus apparet.

Lecta Pisis in horti pariete.

### 56. N. Discoidea.

Thorace marginato nigra, elytrorum disco-ferrugineo. *F. ſp.* 92. 11.

Statura, et magnitudo *N. Bipuſtulatae*. Antennae ferrugineae clava fusca. Caput nigrum. Thorax inaequalis, margine dilatato obscure-ferrugineo. Elytra nigra, macula magna orbiculata communi pallide ferruginea. Pedes picei.

Lectae duae in equi cadavere insepulto.

### * 57. N. Chrysomeloides.

*Long.* 1. l. *Lat.* $\frac{1}{2}$. l.

Obscure-testacea subglobosa pubescens, elytris laevibus, thorace vix obscurioribus.

Duplo major *N. Aestiva*. Corpus totum obscure-testaceum. Antennae brevissimae, admodum clavatae. Oculi nigri. Thorax laevis, gibbus latitudine elytrorum vix marginatus, et pube tenuissima, certo situ, ferrugineo micanti. Elytra gibba laevia, vix pubescentia, thorace obscuriora.

Habitat in ligno putrido.

58. N. Haemorrhoidalis?

Nigra, elytris apice ferrugineis. *F. Mant.* 52. 12.
Statura *N. Colon*, at vix minor. Caput, antennae, palpique rufi. Antennae hujus generis, clava solida, breves. Palpi antici apice subclavato, et oblique truncato. Thorax niger margine antico et laterali rufo. Elytra laevia, nigra, apice late rufa. Abdomen obscure nigrum. Pedes omnes rufi.
Lecta sub corticibus M. Mart.

## XXVII. *COCCINELLA.*

*Palpi* antici securiformes: *postici* filiformes. *Labium* cylindricum. *Antennae clava solida.*

59. C. Tripunctata.

Coleoptris rubris, punctis nigris tribus. *F. Mant.* 54. 17. *Linn. Syſt. Nat.* 580. 8. *Fn. ſv.* 472?
*C. Tripunctata. Vill. Ent.* 1. 75. 5.
Ea quae rarissime occurrit apud nos, certe mera varietas est *C. 5-punctatae*, cui fortuito in élytris deest punctum posticum marginale: reliqua omnia similia. In *Fn. Etrusca* dubitatum, at errore calami, aut Typograph. irrepsit *praecedentis* pro *sequentis*.
Habitat in plantis.

60. C. Nigrofasciata.

Coleoptris rubris punctis nigris octo, fascia media atra. *Fn. Etr.* 1. 62. 155.
Femina *C. 9-punctatae*, cum qua copula junctam saepius reperi.
Habitat in plantis.

61. C. 23-punctata.

Coleoptris rubris, punctis nigris viginti tribus distinctis. *F. ſp.* 101. 46. *Linn. Syſt. Nat.* 582. 27.
*Villers. Ent.* 1. 104. 25.

D

Parva. Thorax ruber punctis tribus nigris. Elytra rubra. Puncta 3. nigra; dein 4; tum 3; ultimo, punctum transversum ex duobus connatum. Accedit punctum scutellare commune. Puncta omnia rotunda, distincta. Subtus etiam rufa una cum pedibus.

Habitat in plantis.

62. C. 12-PUNCTATA.

Coleoptris flavis, punctis nigris duodecim, extimis linearibus repandis. *F. ſp.* 98. 32. *Linn. Syst. Nat.* 581. 19. *Villers Ent.* 1. 100. 17. *Fig. Schaefferi* non rite citata.

Minuta. Thorax flavus, punctis, maculisque duabus nigris. Elytra flava. Puncta quinque nigra praeter exteriorem quasi ex quatuor punctis connatum, lineare repandum ad marginem exteriorem, inter primum, et ultimum punctum. Sutura longitudinalis nigra. Subtus nigra tibiis flavis. Puncta thoracis variare videntur. In nostris saepe duo sunt baseos composita ex aliis duobus.

Habitat in hortis minus frequens.

63. D. 14-MACULATA.

Coleoptris luteis: sutura, punctisque quatuordecim nigris, distinctis. *F. Mant.* 58. 57.

Praecedente major. Caput albidum. Thorax albidus, nigropunctatus, fere uti in *C.* 12-*punctata*, sed punctis plerumque distinctis. Elytra lutea punctis 3. 3. 1. anterioribus in semicirculo positis, distinctis, oblongis, praeter penultimum rotundum suturae proximum. Pedes lutei femoribus posticis apice nigris.

Habitat ruri sat frequens.

64. C. 14-GUTTATA.

*Long.* 2. $\frac{1}{4}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{4}$ l.

Coleoptris rufis, punctis albis quatuordecim. *F. ſp.* 102. 52. *Linn. Syst. Nat.* 583. 34. *Fn. Sv.* 492. *Geoff. Ins.* 1. 327. 13.

*Scop. E. Carn.* 248.
*De Geer. Ins.* 5. 385. 20.
*Schaeff. Ic. t.* 9. *f.* 11.

Dantur aliae dimidio minores huic omnino similes, quae sane referendae sunt ad *C.* 12-*guttatam Geoff. Pod. Schrank. E. I.* 311. at quamvis elytrorum puncta sint tantum duodecim, de varietate praecedentis dubito.

Habitat in Salice frequens.

65. C. 14-pustulata.

Coleoptris nigris, punctis albis quatuordecim. *F. ſp.* 106. 68. *Linn. Syst. Nat.* 585. 46. *Fn. Sv.* 502.

*Coccinella* coleoptris nigris maculis quatuordecim aequalibus flavis. *De Geer. Ins.* 5. 391. 27.
*Geoff. Ins.* 1. 330. 18.
*Coc.* 14-*maculata Pod. M. G.* 26.
*Schrank. E. I.* 122.
*Villers. Ent.* 1. 114. 58.
*Schaeff. Ic. t.* 30. *f* 10.

Statura, et magnitudo *C.* 2-*punctatae*. Thorax niger puncto utrinque marginali arcuato flavo; saepius tamen margo etiam anticus totus flavescit. Puncta elytrorum 2. 2. 2. 1. interdum flava, interdum rubra.

Habitat in floribus frequens.

## XXVIII. *CASSIDA.*

*Palpi* antici clavati: *postici* filiformes. *Labium* elongatum integrum. *Antennae* moniliformes.

66. C. Margaritacea.

Virens, elytris viridi-argenteis nitidis, capite, pectoreque nigris. *F. Mant.* 63. 22.

Statura *C. Nebulosae*, at paulo minor. Caput, et pectus nigra. Abdomen, pedes, antennaeque pallide viridia. Color elytrorum viridi-argenteus perit cum vita.

Habitat apud nos sat frequens.

## XXX. *CHRYSOMELA.*

*Palpi* sex extrorſum craſſiores. *Labium* corneum integrum. *Antennae* moniliformes.

### 67. C. GOETTINGENSIS.

*Long.* 4. l. *Lat.* 2. ½ l.

Ovata, atra, pedibus violaceis. *F. ſp.* 116. 2. *Linn. Syst. Nat.* 586. 4. *Fn. Sv.* 506.
*De Geer. Ins.* 5. 298. 8.
*Laichart Ins. Tyr.* 1. 143. 2. *C. Coriaria.*
*Roes. Ins.* 2. *Scar.* 3. *t.* 5?

*C. Haemoptera* paulo major, globoſior, obſcurior. Plantae ſubrufae.

Habitat in Gramine frequens.

### 68. C. FASTUOSA.

*Long.* 3. l. *Lat.* 1. ½. l.

Ovata aurea, coleoptris lineis tribus caeruleis. *F. ſp.* 124. 48. *Linn. Syst. Nat.* 588. 18.

*Chryſomela* viridis nitida, thorace antice excavato, faſciis elytrorum longitudinalibus caeruleis. *Geoff. Ins.* 1. 261. 11. *Le petit vertú bleu* (*a*)
*Scop. E. Carn.* 532. *Schrank. E. I.* 175.
*Gronov. Zooph.* 561.
*Vill. Ent.* 1. 122. 14.

---

(*a*) *Citatio* Geoffroyana *quam authoritate* Linnaei *in ſynonymia* C. Aeneae *dedimus*, v. Fn. Etr. 1. 196. *ad hanc referenda eſſe videtur;* C. Aenea *enim hac major eſt, et caret faſciis caeruleis: In* C. Faſtuoſa *alae rubrae, in* C. Aenea *nigrae; qua nota haec etiam distinguitur a* C. Graminis *cui ſunt rubellae.*

Aurato-virens fulgida. Linea caerulea longitudinalis in medio elytrorum, et unica communis in sutura. Alae rubrae. Colore admodum variat.
Habitat in lamio albo, et urticis frequens.

* 69. C. VIOLACEA.

*Long.* 3. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* 1. $\frac{2}{3}$ l.

Ovata violacea, antennis plantisque fuscis.
*C. Violacea. Panzer Journ. Allem.*
Statura, et magnitudo fere *C. Politae*. Tota laete violacea nitida, unicolor. Thorax ac elytra punctulata punctis inordinate sparsis. Antennae, et plantae fuscae.
Raro inveni.

* 70. C. NIGRICORNIS.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. l. vix.

Oblongo-ovata violacea nitens; thoracis lateribus incrassatis, prominulis, antennis nigris.
*An. C. Nitens. Mus. Lesk. p.* 13. *n.* 261?
Statura ovato-oblongior quam in nostratibus omnibus. Tota violacea nitida colore *C. Alni*; Antennae tantum nigrae, et longiusculae. Thorax fere latitudine elytrorum, antice excavatus, postice rotundatus, in medio convexus, margine laterali crasso, prominulo. Elytra laevia, vix subpunctata. Plantae fuscae. Affinis *C. Gloriosae*, at omnino distincta.
Habitat Florentiae rara.

71. C. GLORIOSA.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. $\frac{1}{4}$ l.

Ovata viridis nitida, elytris linea caerulea. *F. ſp. App.* 497.
Duplo major *C. Faſtuoſa*. Color viridis nitens, linea unica caerulea in medio elytrorum. Frons puncto impressa. Thorax latus. Elytra nonnihil utrinque angustata, postice

latiora. Antennarum articulus ultimus, plantaeque griſeo-fuſcae.
Habitat apud nos rarior.

### * 72. C. Gemellata.

*Long.* 2. ½ l. *Lat.* 1. ½ l.

Viridis, punctis elytrorum per ſtrias gemellas digeſtis. *Ent. Paris.* 110. 22. *La Chryſom. à stries jumelles.*
*Villers. Ent.* 1. 138. 68.
Statura, et magnitudo fere *C. Faſtuoſae*. Supra aeneo-viridis. Antennae nigrae. Thorax brevis laeviſſimus lineola abbreviata poſtica marginali. Elytra laevia punctis duplici ordine quaſi in ſtrias gemellas inordinate digeſtis. Subtus aeneo-caeruleſcens plantis fuſcis. Alae albae.
Habitat apud nos rarior.

### 73. C. Vulgatiſſima.

*Long.* 1. ⅔ l. *Lat.* ¾ l.

Oblonga caerulea, antennis baſi ferrugineis. *F. ſp.* 130. 79. *Linn. Syſt. Nat.* 589. 22. *Fn. Sv.* 517.
*Chryſomela caerulea Betulae. De Geer. Inſ.* 5. 317. 23.
*Coccinella Vulgatiſſima. Scop. E. Carn.* 222.
*Schrank. E. I.* 126.
Corpus magis oblongum quam ovatum. Antennae nigrae longiuſculae. Thorax ſubquadratus margine laterali ſaepius in medio nonnihil coarctato, angulis poſticis acutis. Elytra punctis longitudinaliter digeſtis.
Habitat in Salicibus frequentiſſima cum *C. Vitellinae.*

### 74. C. Armoraciae.

*Long.* 1. ⅓ l. *Lat.* 1. l. vix.

Ovata caeruleſcens nitida, ſubtus nigra. *F. ſp.* 127. 66. *Linn. Syſt. Nat.* 588. 16. *Fn. Sv.* 515.

*C. Plantaginis* subglobosa supra violacea nitida, subtus nigra, punctis excavatis striatis. *De Geer. Ins.* 5. 322. 25.
Similis *C. Betulae*, at corpore magis globoso. Abdominis apex obscure flavescit.
Habitat in Armoracia, Plantagine, aliisque.

### * 75. C. Pyritosa.

Fusco-aenea nitida, antennis crassiusculis, thorace laevi, elytris punctato-striatis.
Statura, et magnitudo praecedentis. Antennae pone medium crassiusculae. Subtus etiam tota fusco-aenea. Differt a *C. Armoraciae* colore diversissimo; et a *C. Metallica Fn. Etr.* colore minus nitido, et forma thoracis antice latiori.
Habitat in pratis silvaticis, mens. Maj. saepe lecta.

### 76. C. Ruficollis.

Oblonga viridi-aenea, thorace, pedibusque rufis. *F. Syst. Ent. App.* 820.
*Chrysomela* nigra, elytris caeruleo-viridibus, thorace, pedibus, antennarumque basi rufis. *Geof. Ins.* 1. 263. 16.
Statura *C. Betulae*. Antennae rufae apice fuscae. Caput viridi-aeneum ore rufo. Thorax rufus immaculatus. Corpus viride. Pedes rufi. F.
Valde affinis *C. Polygoni*. Nonnulla individua possideo capite toto rufo, et alia quae forte referenda sunt ad *C. Ruficollem*. *F. Mant.* 55.
Habitat in plantis non rara.

*Alticae saltatoriae femoribus posticis incrassatis.*

### 77. C. Nemorum.

Saltatoria, atra, elytris flavis margine omni nigro. *F. ſp.* 136. 114.

*Chrysomela Nemorum* saltatoria, elytris linea flava, pedibus pallidis. *Linn. Syst. Nat.* 995. 62. *Fn. Sv.* 543.
*Chrysomela Fasciata. De Geer. Ins.* 5. 347. 55.
*Altica Nemorum. Geoff. Ins.* 1. 247. 9.
*Scop. E. Carn.* 215. *Schrank. E. I.* 154.
*Sulz. Hist. Ins. t* 3. *f.* 11.

Magnitudo maximi *Pulicis*. Thorax niger. Elytra flava undique margine nigro cincta. Pedes pallidi.

Habitat in Pulmonaria, in Lepidio latifolio frequens, copiosa mens. Maj.

### * 78. C. Pulex.

Saltatoria, nigro-aenea nitens, antennarum basi, tibiisque rufis.
*An. C. Pulex. Schrank. E. I.* 160.

Magnitudo praecedentis, et facies veri *Pulicis*. Oblonga, tota aeneo-nigra nitens. Thorax, elytraque subtilissime, ac inordinate punctata. Tibiae, tarsique rufi.

Habitat in plantis minus frequens.

### 79. C. Violaceo-punctata.

Saltatoria, ovata, thorace punctato virescenti-caeruleo, elytris violaceis punctato-striatis, pedibus rufis. *De Geer. Ins.* 5. 343. 48.

Magnitudo praecedentis, supra laete violacea, subtus nigra; antennae, pedesque rufi.

Habitat in plantis.

### 80. C. Dorsalis.

Saltatoria, luteo-livida, elytris sutura nigra.

An *C. Dorsalis* F. varietas?.

Statura *C. Atricillae*. Antennae subluteae. Oculi nigri. Caput, thorax, ac elytra pallide flava. Elytra subpellucida, laevia, sutura nigra. Abdomen, et femora postica nigra. Tarsi pallidi. Variat pedibus anticis interdum totis pallidis.

Habitat in Verbasco non rara.

## XXXI. *CRYPTOCEPHALUS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* unidentata. *Labium* corneum integrum. *Antennae* filiformes.

### 81. C. Moraei.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$, 2. l. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Ater, elytris maculis duabus flavis marginalibus. *F. ſp.* 144. 37.
*Chrysomela Moraei* cylindrica, thorace nigro, elytris nigris, maculis duabus rubris marginalibus. *Linn. Syst. Nat.* 597. 82. *Fn. Sv.* 550.
*Cryptocephalus* niger, capite, thoraceque antice luteis, elytro singulo externe macula duplici flava. *Geof. Ins.* 1. 234. 5.
*Buprestis Moraei. Scop. E. Carn.* 202.
*Fn. Etr.* 1. 95. 232.
*Schaef. Ic. t.* 238. *f.* 2. *t.* 30. *f.* 5?

Variat elytris apice, et macula marginali rubris, flavisve. Maculae in masculo flavae, in femina rubrae. Thoracis margo anticus in femina plerumque immaculatus. In utroque thoracis anguli postici albidi.

Habitat in Hyperico perforato. Mens. Jun. sub vesperum frequens copiosus, et saepe copula junctus.

### * 82. C. Tricolor.

Niger, thorace atro, maculis sex inaequalibus luteis, elytris rufis, punctis tribus nigris.

Statura ac magnitudo *C. Bipunctati*. Antennae nigrae thorace longiores. Caput nigrum totum intra thoracem reconditum. Thorax ater laevissimus nitidus, maculis duabus in medio dorsi postice, obliquis majoribus; itemque duabus utrinque ad marginem exteriorem fere contiguis, eademque parte similiter emarginatis, luteis. Elytra rubra inordinate, ac subtilissime punctulata. In singulo ad basin puncta duo rotunda, et aliud fere in medio elytri quasi ex binis compositum nigra. Subtus totus niger.

Missus ab ill. ac egregio Viro Com. Leopoldo Galli, qui Entomologiae etiam amantissimus, Insecta multa in Etruria collegit, et benevole mihi communicavit.
Habitat Florentiae in montuosis; frequens loco vulgo dicto *Montespertoli*.

## XXXII. *CISTELA*.

*Cistela Gigas*, et *Tenebrio Dubius Fn. Etruscae* ad novum genus retulit Cl. *Olivierus* sub nomine *Ceb. Longicornis*, et *Ceb. Brevicornis*.

## CEBRIO.

*Antennae* filiformes subserratae corpore paullo breviores, 11-articulatae, articulo 2. 3-q. brevissimis. *Labium* superius corneum breve antice ciliatum. *Mandibulae* porrectae, corneae, arcuatae, simplices, rotundatae, ciliatae. *Labium* inferius breve, subcorneum, integrum. *Palpi* quatuor filiformes inaequales: anteriores longiores, quadriarticulati, articulo primo breviori, aliis aequalibus, &c.

### 83. C. LONGICORNIS.

Pubescens fuscus, elytris, abdomine, femoribusque testaceis. *Oliv. Ent. p.* 5. *n.* 1. *t.* 1. *f.* 1. *a. b. c. t.* 1. *f.* 1. *a. b. c.*
C. *Gigas. Fn. Etr.* 1. 100. 256.
Habitat Pisis, et Florentiae non rarus.

### 84. C. BREVICORNIS.

Apterus, testaceus mandibulis exsertis nigricantibus, antennis brevissimis. *Oliv. Ent.* 5. 12. 2. *t.* 1. *f.* 2. *a. b. c.*
*T? Dubius. Fn. Etr.* 1. 234. 583. *t.* 1. *f.* 2.
Habitat Florentiae, et Pisis rarissimus.

## XXXIII. *CRIOCERIS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* corneum integrum. *Antennae* filiformes.

### 85. C. Capreae.

*Long.* 2. ½ l. *Lat.* 1. ½ l.

Thorace nigro maculato, elytriſque griseis, antennis nigris. *F. ſp.* 150. 4.

*Chrysomela Capreae. Linn. Syſt. Nat.* 600. 100. *Fn. Sv.* 516.

*Chrysomela grisea Alni* ovata grisea opaca, thorace angusto, puncto nigro, antennis variegatis. *De Geer. Ins.* 5. 325. 30.

*Galleruca* nigra, thorace, elytriſque luteo lividis. *Geof. Ins.* 1. 254. 5. *la Galleruque Grisette.*

Abdomen, et femora ante apicem nigra, tibiis, tarsiſque elytro concoloribus.

Habitat in Salice.

## XXXV. *LAGRIA.*

*Palpi* quatuor inaequales: *antici* securiformes; *postici* extrorsum crassiores. *Labium* membranaceum integrum. *Antennae* filiformes.

### 86. L. Aenea.

Antennis serratis, hirta obscure-aenea. *F. Mant.* 94. 23.

Affinis *L. Atrae*, et minor, tota hirta, obscure-aenea nitida. Pedes, et antennae atrae. Variat rarius tibiis testaceis, *F.*

Habitat in floribus frequens.

### * 87. L. Viridis.

Aeneo-viridis hirta, thorace marginato, antennis aeneis.

Praecedente minor. Tota aeneo viridis nitida ad cyaneum vergens. Antennae aeneo-nitidae longitudine thoracis. Thorax lateribus, posticeque marginatus, planiusculus, seu

minus quam in superiore convexus, hirtus. Elytra uti thorax aeneo-viridia punctulata marginata, minus hirta. Abdomen, et pedes toti elytris concolores. Variat magnitudine duplo minori, colore viridi subaurato.
Habitat in floribus frequens.

## XL. *CURCULIO*.

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* cylindrica unidentata. *Labium* integrum. *Antennae* clavatae insidentes rostro corneo.

* *Longirostres fem. simpl.*

### 88. C. Bardanae.

Longirostris, cylindricus, griseo-tomentosus, pedibus anticis elongatis. *F. Mant.* 104. 84.
Statura, et magnitudo fere *C. Paraplectici*. Junior totus tomento griseo tectus; adultior niger, et glaber evadit. Elytra rotundata, obtusa. Pedes anteriores parum elongati. F.
In hoc elytra subtilissime ac laeviter punctato-striata; in *C. Pulverulento Scop.* qui forte est *C. Augustatus F.* transversim rugosa.
Habitat in Arctio Lappa, aliisque plantis non rarus.

### * 89. C. Sanguineus.

*a basi rostri ad apicem elytrorum. Long.* 4. l. *Lat.* 1. l.

Longirostris cylindricus, ruber, oculorum supercilio, thoracisque lateribus flavescentibus.
Statura, et magnitudo *C. Ascanii*, at elytra apice obtusa. Rostrum thoracis longitudine, totum superne sanguineum, inferne cinereum. Antennae breves, fractae, cinereo fuscae. Caput sanguineum quod ubique inflectit. Oculi nigri supercilio flavo. Thorax laevis sanguineus, margine laterali flavo-lineato. Elytra laevia, sanguinea, apice obtuso. Sternum, et abdomen cinerea. Pedes cinerei femoribus dilute

sanguineis. Color idem qui in *Call. Sanguineo*, et cum in tenuissima pube consistat, facile attritu deletur; et tunc niger evadit.

Lectus Pisis in Verbasci foliis d. 24. Mart.

### 90. C. Cuprirostris.

Longirostris, oblongus, viridi-aeneus, elytris striatis, rostro cupreo. *F. Mant.* 100. 43.

Magnitudo *C. Granarii*. Corpus oblongum nitidum. Rostrum arcuatum cupreum. Thorax viridi-aeneus, laevissimus nitidus. Elytra subtilissime striata, viridi-aenea nitida. Abdomen viride. Pedes fusci.

Habitat in Alno non rarus.

### 91. C. Caerulescens.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Longirostris, obscure caeruleus; elytro singulo decemstriato, rostro deflexo. *Schrank. E. I.* 202.

*C. Caerulescens. Scop. E. Carn.* 87.

Statura praecedentis, at latior. Rostrum tenue longum, deflexum. Thorax excavato-punctatus, etiam inferius. Elytra subtilissime striata striis decem-impunctatis. Femora mutica.

Raro lectus.

### * 92. C. Timidus.

Longirostris, ater laevis, nitidus: elytris substriatis, rostro crassiusculo incurvo.

Magnitudo fere *C. Betulae*, at paullo oblongior, et corpore ovato globoso. Totus ater nitidus. Rostrum crassiusculum incurvatum antennis nigris. Thorax latus. Elytra subtilissime punctato-striata. Femora inermia. Alatus.

Habitat in pratis silvaticis frequens.

### * 93. C. Perpensus.

*Long.* 1. l. *Lat.* ½ l.

Longirostris, griseo-fuscus, thorace, elytrisque hispidis, cinereo nigroque obsolete punctatis.

Statura *C. Anthirrini. Fn. Etr.* Rostrum tenue, porrectum. Elytra striata. Femora mutica. Tibiae testaceae.

Habitat in silvis.

### 94. C. Rumicis.

*Long.* 3. l. *Lat.* 1. l.

Longirostris, griseus, nigro-nebulosus, antennis fuscis. *F. ſp.* 170. 55. *Linn. Syst. Nat.* 614. 60. *Fn. Sv.* 590.

*Curculio* longirostris, femoribus muticis, antennis fractis, corpore oblongo griseo, fusco-nebuloso, thorace fasciis duabus nigricantibus. *De Geer. Ins.* 5. 231. 20. *t.* 7. *f.* 10. 11.

Magnitudo variat.

Habitat in Rumice frequens.

### * 95. C. Infidus.

Longirostris, piceus, nitidus; thorace punctato, femoribus clavatis, compressis.

Statura *C. Granarii*, cui valde affinis, at major, et distinctissimus. Differt a *C. Granario* praeter magnitudinem quae fere dupla, colore piceo nitidiore; rostro magis porrecto; thorace diversimode punctato punctis rotundioribus. Elytra in hoc thorace longiora nitida, manifeste punctato-striata. Femora mutica, clavata clava compressa, imprimis antica. Tibiae breves, compressae. Subtus concolor nitidus, punctulatus.

Habitat Pisis.

### 96. C. Cinctus.

Longirostris globosus rufus, elytris striatis fascia transversa alba. *Geoff. Ins.* 1. 289. 28. *Ent. Par.* 124. 27.

*C. Erytroleucos. Ed. Linn.* 13.

Magnitudo *C. Rufirostris*. Rostrum tenue nigrum. Antennae ferrugineae clava apice cinereo.
Habitat in plantis non frequens.

*** Longir. fem. dentatis.*

## * 97. C. Binotatus.

Longirostris, fuscus, elytris subdepressis, pone medium puncto albo notatis.
Statura *C. Colon*, at major. Rostrum mediocre crassiusculum carinatum longitudine thoracis. Thorax fuscus, subcarinatus, linea laterali cinerea obsoleta. Elytra basi subdepressa, obsolete punctato-striata, fusca, pone medium angustata, gibba, puncto utrinque albo. Antennae, pedesque fusci femoribus subdentatis. Apterus. Color fuscus in testaceum vergit.
Habitat in silvestribus paludosis; hieme in truncis arborum putridis minime rarus.

## * 98. C. Tigratus.

Longirostris? femoribus dentatis, bruneus fulvo maculatus, thorace depresso, carinato, elytris sulcatis, punctatisque.
Magnitudo *C. Abietis*. Totus bruneus maculis laete ferrugineis aspersus. Antennae fractae, pilosae clava subrotunda crassiuscula. Rostrum mediocre carinatum sulcis tomento fulvo contectis. Thorax rotundatus, depressus, carinatus maculis, fasciisque ferrugineis ordine dispositis. Elytra sulcata lineis elevatis, abdominis latera admodum involventia, coalita, fulvoque undique maculata. Femora omnia dentata annulo fulvo. Inter singulos sulcos striae duae punctorum impressorum.
Habitat in silvis non frequens.

## * 99. C. Bipustulatus.

Longirostris, femoribus dentatis, niger subpilosus, elytris striatis, plaga utrinque rufescente.
Statura *C. Verbasci* quo paulo minor. Rostrum tenue antennis

nigris. Elytra late striata, subpiloſa, maculam in medio gerentia inſignem rotundam rufeſcentem. Femora dentata, craſſiuſcula.

Lectus raro.

*** *breviroſtres fem. muticis.*

* 100. C. Caneſcens.

*Long.* 4. l. *Lat.* 1. ½ l.

Breviroſtris, cinereus nitidus ſubpiloſus, elytris nigro maculatis.

Minor *C. Incano*, et corpus magis ovatum, magisque globoſum. Caput cinereum roſtro craſſo breviſſimo. Antennae breviſſimae fractae cinereae clava ſubrufa. Thorax cinereus in medio obſcurior. Elytra cinerea ſubpiloſa, leviter punctato-ſtriata, punctisque inaequalibus nigris aſperſa, coalita, apiceque parum acuminato. Color totius corporis albido cinereus nonnihil ad aeneum vergens.

Lectus pluries ſub arborum cortice tempore hiberno.

* 101. C. Caudatus.

*Long.* 6. l. *Lat.* 2. l. et ultra

Ovato-oblongus, thorace, elytrisque ſcabris, apice acuminatis piloſis.

Major *C. Armadillo*, et oblongior. totus niger ſubobſcurus. Roſtrum breve craſſum, biſulcatum, apice dilatatum. Antennae in medio fractae longiores. Thorax, ac elytra punctis elevatis ſcabra, eaque magnam partem abdominis obtegentia, minime ſtriata, apice acuminato, piliſque ſubferrugineis hirto, quaſi penicillato. Abdominis baſis inferne compreſſa, retuſa. Femora omnia clavata inermia. Alae nullae. Apex elytrorum nunc magis, nunc minus piloſus. Dubitavi de *C. Nigrita*, at deſcriptio minime convenit, et ſpecies nova videtur.

Habitat Florentiae.

102. C. Costatus.

Brevirostris cinereus, thorace nigro: lineis quatuor cinereis. *F. Mant.* 115. 194.

*C. Bilineatus. Fn. Etr.* 1. 110. 281.

Magnitudo *C. Incani*. Antennae in medio fractae, basi ferrugineae. Rostrum apice incrassatum nigrum dorso cinereo. Thorax rotundatus niger linea dorsali paullulum elevata atra. Elytra, pedesque cinerea. *F.*

Habitat in pratis frequens.

* 103. C. Viator.

*Long.* 2. ½. l. *Lat.* 1. l.

Brevirostris? niger oblongus, thorace, elytrisque squamoso-aeneis subnitidis.

Magnitudo fere *C. Pyri*, at statura distinctus, et colore etiam minus nitido. Rostrum mediocre crassiusculum longitudine thoracis. Antennae breves fractae fuscae clava subcinerea. Thorax lateribus squamoso-aeneis obscuris. Elytra mutica. Ademta pube aeneo-rufescente totus niger apparet.

Lectus Pisis.

104. C. Scabriculus.

*Long.* 1. ½ l. *Lat.* 1. l. vix.

Brevirostris, corpore cinereo hispido. *F. ſp.* 189. 159.

*C. Scabriculus* brevirostris, femoribus muticis, cinereus, elytris hispidis. *Linn. Mant.* 531.

*Bonsd. Curc. Svec.* 2. *f.* 21.

Magnitudo *C. Cervini*: Totus cinereus. Rostrum breve canaliculatum. Antennae crassiusculae vix longitudine rostri. Elytra striata hispida, praesertim postice. Femora inermia.

Raro lectus in locis arenosis Pisani nemoris.

## * 105. C. Brevirostris.

Brevirostris, ater subnitidus, elytris punctato-sulcatis, rostro latitudine capitis.

Paullo major *C. Granario*, a quo praecipue differt thorace elytris breviore, rostro brevissimo crasso latitudine capitis. Ater nitidus, sed minime lucens, glaberrimus. Antennae brevissimae nigrae apice cinereo. Caput punctulatum, at respectu thoracis laeve. Thorax excavato-punctatus. Elytra punctato sulcata, connata. Femora subclavata inermia.

Habitat in agro Pisano.

## * 106. C. Limosus.

Brevirostris, niger obscurus, thorace, elytrisque limo exsiccato obductis, antennis rufis.

*An. C. Lutosus. Mus. Lesk. p.* 22. *n.* 482?

Statura *C. Lineati*, quo duplo major. Niger, sed totus semper crusta terrea contectus. Rostrum breve crassum nigrum. Antennae rufae clava fusco-nigra. Thorax subglobosus. Elytra ademto limo, nigra striata. Femora mutica: antica subclavata. Abdomen cinerascens.

Habitat Florentiae, et Pisis sat frequens.

## * 107. C. Visus.

Brevirostris, fuscus, elytris fasciis duabus marginalibus cinereis, antennis, pedibusque testaceis.

Medius inter *C. Lineatum*, et *C. Argentatum*. Antennae fractae testaceae clava obscuriori, apice cinereo. Rostrum brevissimum. Caput, et thorax tomento flavo lucido subaureo tecta. Elytra convexa striata, flavo-tomentosa dorso fusco, fasciis duabus cinereis, prima obliqua prorsus marginali; altera apicis usque ad suturam producta. Abdomen fusco nitidum. Pectus macula utrinque cinerea. Pedes testacei tenues, femoribus muticis, et versus apicem cinereo annulatis. Alatus.

Habitat in plantis non rarus.

**** *brev. fem. dentatis.*

* 108. C. Armadillo.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. $\frac{1}{4}$ l.

Brevirostris, femoribus subdentatis, niger elytris crenato-striatis, striarum foſſulis cinereo-flaveſcentibus.

Corpus ovato-globoſum nigrum. Antennae fractae articulo primo praelongo. Roſtrum breve craſſum biſulcatum. Thorax subrotundus punctis elevatis ſcaber. Elytra connata, admodum convexa, crenato-ſtriata pilis ſordide cinereis breviſſimis in ſtriarum foveolis hic inde aſperſa, unde cinereo veluti pulvere inquinata apparent. Femora clavata, ſubdentata. Alae nullae.

Deſcriptio *C. Nigritae Fn. Etr.* ad hunc male pro *C. Nigrita* aſſumtum referenda.

Habitat in ſilvis frequens.

109. C. Sulcatus.

Brevirostris, femoribus dentatis ater, elytris ſtriatis, ferrugineo-maculatis. *F. ſp.* 197. 212.

Femora omnia apice clavata, poſtica etiam acute dentata. Differt a *C. Armadillo* praeſertim ſtatura oblongiori, et macularum colore non ſordide cinereo, ſed ferrugineo flaveſcente. Elytra crenato-ſtriata. Magnit. variat.

Raro lectus hieme ſub arborum cortice.

## XLI. *RHINOMACER.*

*Palpi* quatuor extrorſum craſſiores articulo ultimo truncato. *Antennae* ſetaceae roſtro inſidentes.

110. R. Brentoides.

Glaber piceus, thorace punctato, elytris punctato ſtriatis. *D. D. Antic. Soc. Linn.*

*Fn Etr.* 1. 135. 347. *t.* 3. *f.* 14.

*Pimelia Anguſtata. F. ſp.* 320. 24. *Mant.* 209. 28?

Habitat ſub arborum cortice obvius.

## XLII. *ATTELABUS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* corneum palpos tegens. *Antennae* moniliformes insidentes rostro.

### * 111. A. Bicolor.

Cupreus, hirtus, elytris saturate testaceis.

Statura, et magnitudo *A. Pubescentis*, at paulo latior. Rostrum tenue elongatum longitudine fere dupla thoracis, subrufum, apice dilatato, bifido. Antennae subrufae, rectae moniliformes, medio rostri insidentes, clava fusca. Oculi prominuli nigri. Caput, thorax, abdomen, femora cuprea, quasi subaurata hirta. Thorax punctulatus. Elytra punctato-striata hirta saturate testacea. Tibiae subrufae.

Habitat Florentiae rarus.

## XLIII. *CLERUS.*

*Palpi* quatuor; *antici* filiformes: *postici* longiores, securiformes. *Antennae* moniliformes.

### * 112. C. Univittatus.

Niger, elytris fascia media unica alba.

Statura *C. Unifasciati*, at paulo minor. Antennae nigrae basi ferrugineae. Caput, thoraxque nigra pilosa, minus tamen quam in *C. Unifasciato*. Elytra nigra, nitida, striato-punctata, fascia media recta unica alba. Abdomen nigrum. Pedes ferruginei femoribus nigris. Alae fuscescentes.

Habitat Pisis rarus.

## XLIV. *NOTOXUS.*

***Palpi*** quatuor securiformes. *Maxilla* unidentata. *Antennae* filiformes.

### * 113. N. Trifasciatus.

Thorace in cornu supra caput protenso, elytris trifasciatis. *Fn. Etr.* 1. 139. 354. *β. t.* 2. *f.* 14.

*Notoxus* quem habet *Jo. Moraeus. Upl. Nov. Sp. Ins.* 1789. ab hoc diversus. Noster in Svecia non habitat.

Statura, et habitu omnino similis *N. Monocero*, at species sane distincta. Differt magnitudine paulo minori; elytris nigro trifasciatis; abdomine fusco. Elytrorum apex fascia nigra terminatus.

Habitat mens. Jun., et Jul. in Salice, Bignonia radic. aliisque plantis frequens copiosus. Amare videtur folia glabra, umbraque tecta, quae velociter cursitando huc, illuc percurrit.

### * 114. N. Pedestris.

*Long.* 1. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* $\frac{1}{3}$ l.

Niger, thorace elongato rufo, elytris pubescentibus, puncto utrinque baseos subrufo.

*C. Pedestris. Fn. Etr.* 1. 224. 557.

Proximus *Cantharidi Geoff.* 1. 344. 8. *La Cantharide fourmì*, quae forte hujus generis.

Magnitudo *N. Trifasciati*. Antennae nigrae filiformes longitudine dimidii corporis, articulis brevibus ultimo oblongo acuminato. Palpi quatuor securiformes nigri. Caput paullulum a thorace remotum collo tenuissimo, nigrum nitidum, deflexum, et conformatum ut in *N. Monocero*, ac *Trifasciato*. Thorax elongatus rotundatus, antice latior latitudine capitis, postice angustatus, punctulatus, rufus. Elytra integra convexa, thorace duplo latiora, postice praesertim albo pubescentia, nigra, puncto baseos utrinque subrufo. Pedes nigri femorum basi tenui ferruginea. Alae albae.

Habitat in terra, arena, ligno putrescente frequens.

### * 115. N. Cinctellus.

Niger, thorace elongato, elytris macula utrinque baseos, cruceque postica suturae communi subrufis.

Statura magis quam in praecedente cylindrica, et paullo minor. Caput nigrum thorace vix latius. Palpi antennaeque nigrae. Thorax niger antice rotundatus, postice nonnihil angustatus, emarginatus, vix latitudine longior. Elytra thorace duplo latiora, minutissime punctata, integra convexa, nigra, macula ad basin utrinque fere trigona, posticeque cruce ad suturam communi saturate testaceis notata. Basis ad scutellum, atque apex nigra. Abdomen nigrum. Pedes nigri tibiis pallide ferrugineis. Elytra paulo minus quam in praecedente convexa.

Habitat sub corticibus rarus.

### * 116. N. Hispidus.

Niger hispidus, tibiis antennisque testaceo-pallidis, elytris macula baseos flava.

Facies *N. Pedestris*, at paulo minor. Antennae testaceo-fuscae moniliformes. Caput nigrum nitidum deflexum, punctulatum, latitudine thoracis. Oculi prominuli. Thorax niger hispidus, admodum convexus, subglobosus. Elytra obscure nigra hirsutissima, integra, macula magna baseos flavescente. Subtus totus niger hispidus, demtis tibiis pallide-testaceis. Alatus.

Lectus sub foliis disiectis.

### * 116. N. Myrmicocephalus.

Ferrugineus laevis, glaber, capite thorace latiore, elytris apice obtusis.

Statura, ac magnitudo *N. Pedestris*. Caput magnum obscure-ferrugineum. Palpi, antennaeque ferrugineae apice crassiori uti in praecedente. Thorax ferrugineus, elongatus, capite angustior, convexus, subpunctatus. Elytra ferruginea

laevia convexa integra apice obtuso. Subtus ferrugineus abdomine obscuriori. Alae albae.
Habitat . . . .

### * 118. N. Hispidulus.

Hispidus, thorace, elytrisque obscure-testaceis, capite punctulato nigerrimo.
Statura, et magnitudo *N. Non plus ultra*. Antennae, palpique testacei. Caput nigerrimum punctulatum, latitudine thoracis. Thorax angustus, elongatus, convexus, fere cylindricus, immarginatus, punctulatus, obscure-testaceus, pilosus. Elytra testacea pilosa, integra punctulata. Subtus omnino obscure-testaceus. Differt a *N. Non plus ultra*, colore, forma thoracis angustiori, magisque elongata, capite nigro, ac hirsutia magis conspicua.
Habitat sub arborum cortice hieme.

### * 119. N. Non plus ultra.

Flavus, oculis nigris, elytris, antennisque pilosis subclavatis.
*C. Non plus ultra. Fn. Etr.* 1. 227. 566.
*Pediculo* aequalis corpore toto flavo. Statura, et habitus praecedentium. Antennae ad apicem crassiores articulis fere rotundis, approximatis pilosis, ultimo majore acuminato. Thorax minus quam in superioribus elongatus, convexus praesertim basi. Elytra punctulata, pilosa.
Habitat in quisquiliis non frequens.

### * 120. Tenuicollis.

Laevis, capite, thoraceque nigris, antennis, elytrisque obscure-testaceis, pedibus pallidis.
Duplo minor *N. Pedestre*. Corpus totum tenuissima pube subobscurum. Antennae longiusculae filiformes, apice vix crassiores obscure-testaceae. Caput nigrum thorace fere majus. Thorax convexus rotundatus, postice paulo angustior

niger. Elytra integra, laevia, capite thoraceque longiora testaceo-fusca. Abdomen nigrum. Pedes pallidi. Alae albae.

Lectus tempore hiberno sub corticibus, at aestate etiam in plantis.

### * 121. N. 4-guttatus.

Hispidus, antennis, pedibusque testaceis, elytris maculis quatuor obscure-flavis.

Statura praecedentis, magnitudo *N. Trifasciati*. Palpi, antennaeque obscure-testaceae. Caput nigrum hirtum. Thorax subglobosus, minus elongatus, postice vix angustior, latitudine capitis, punctulatus, niger hirtus. Elytra integra hirta, tenuissime punctulata, basi nigra, mox macula utrinque obscure-flava fere marginem attingente, dein fascia nigra, tum macula altera minori obscure-flava rotunda, apice denique nigro. Abdomen nigrum. Pedes testacei.

Aliud specimen habeo quod differt a praecedente palpis, antennis, pedibusque nigris; elytris maculis quatuor subrufis paullo majoribus, quasi in fasciam connatis, corpore non hispido sed pubescente: An satis distinctus?

Occurrit cum aliis.

### * 122. N. Bifasciatus.

Glaber, nitidus, thorace antice nigro, postice ferrugineo, elytris nigris, fasciis duabus luteis in medio interruptis.

Habitus, ac statura fere *N. Cinctelli*, at dimidio minor. Caput nigrum laeve, nitidissimum. Palpi, antennaeque ferrugineae. Thorax capite paullo minor, elongatus, convexus, postice nonnihil angustatus, forma magis cylindrica, laevis, nitidus, antice niger, postice ferrugineus. Elytra laevia, nitida, punctulata, nigra, fasciis duabus luteis in medio late interruptis, seu maculis quatuor luteis, binis prope basin, et binis pone medium notata: hae maculae tamen marginem exteriorem attingunt, et apex summus ad

suturam flavescit. Pedes ferruginei femoribus apice nigris. Lectus sub arborum cortice. Mart. m. (*a*)

## XLVII. *CERAMBYX.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* obtusa unidentata. *Labium* bifidum. *Antennae* setaceae.

### 123. C. FASCICULATUS.

*Long.* 2. $\frac{1}{4}$ l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l. vix.

Thorace spinoso, elytris integris, punctis tribus hispidis, antennis mediocribus hirtis. *F. Mant.* 134. 37.

Paulo major *C. Hispido*. Antennae longitudine corporis, articulis basi cinereis, apice fuscis, hirtae. Caput, et thorax fusca hirta. Elytra fusca hirta lineolis elevatis; versus basin pallidiora, quasi fasciata fascia ad marginem exteriorem diducta usque ad elytri basin, fasciculis, seu punctis tribus nigris hispidis, apice omnino integra. Pectus, et abdomen cinerea. Pedes grisei.

Raro lectus.



---

(*a*) *Ad species* Notoxi *quod attinet supra relatas, monendum summam differentiam consistere in antennis articulis tribus ultimis crassioribus; reliquum, palpi in omnibus securiformes, omniumque facies, ac habitus idem qui in* N. Pedestre *peritiorum etiam sententia habito pro vero* Notoxo. *Etsi tamen de affinitate inter eos maxima dubitari nequeat, si in aliquem ex descriptis, fortasse generis error irrepserit, gratia praesertim impotentiae eos rectius examinandi, ( cum nonnulli in Sveciam missi ad consulendum D. De Paykull casu perierint, ) indulgeant mihi Entomologi.*

## XLVIII. *L A M I A.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* cornea bifida. *Labium* corneum bifidum. *Antennae* setaceae.

### 124. L. UNIFASCIATA.

Thorace inermi ovato, sordide nigro, elytris fuscis nigro-punctatis, fascia media atra flexuosa flavo marginata. *Fn. Etr.* 1. 147. 370. *t.* 1. *f.* 5.

*Cerambyx Fasciatus. Villers Ent.* 1. 239. 38. videtur omnino diversus, uti figura *Schaefferi* ab eo citata apertissime ostendit. Thorax in meis specimin. nullo modo spinosus. Elytrorum fascia non fusca, sed atra, et flexuosa.

Habitat sub arborum cortice rara.

## LII. *S A P E R D A.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* membranacea bifida. *Labium* cordatum, truncatum. *Antennae* setaceae.

### 125. S. ERYTHROCEPHALA.

Thorace rotundato villoso, rufa, antennis, pectore, elytrisque nigris. *F. Mant.* 148. 13.
*Cerambyx Erythrocephalus. Schrank. E. I.* 270.
*Herbst ap. Fuesl. Arch. Ins.* 5. *t.* 26. *f.* 3.
*Villers Ent.* 1. 243. 51. *t.* 1. *f.* 28.

Media inter *S. Oculatam*, et *Cylindricam*; statura eadem. Caput rufum maxillis, antennisque nigris mediocribus. Thorax cylindricus villosus rufus, margine antico, et postico nigris. Elytra glabra cinereo-nigra colore elytrorum *S. Oculatae*, eodemque modo punctulata. Pectus nigricans. Abdomen rufum macula magna baseos nigra. Pedes rufi. Alae nigrae.

Lecta in sepibus mens. Jun.

126. S. Linearis.

Cylindrica nigra, pedibus luteis, antennis mediocribus. *F. ſp.* 132. 6.

*Cerambyx Linearis* thorace cylindrico mutico niger, pedibus omnibus totis luteis, antennis mediocribus. *Linn. Syst. Nat.* 632. 58. *Fn. ſv.* 663.

*Leptura Parallela Scop. E. Carn.* 153.

*Herbst ap. Fuesl. Arch. Ins.* 5. *t.* 26. *f.* 1.

*Schaef. Icon. t.* 55. *f.* 6.

Paullo major *S. Cylindrica*, et magis nigra. Abdominis dorsum supra testaceum.

Saepe lecta ruri in floribus.

127. S. Lineola.

Nigra, thoracis linea dorsali, femoribusque apice rufis. *F. ſp.* 235. 26.

*Herbst ap. Fuesl. Arch. Ins.* 5. *t.* 26. *f.* 4.

Statura *S. Cylindricae*, at paullo minor. Nigra villosula. Antennae longitudine corporis, apice non attenuatae nigrae. Linea rubra in dorso thoracis. Elytra concoloria. Abdominis apex, femora omnia apice, uti et tibiae anticae rubra. Variat abdomine, pedibus secundi, et tertii paris totis nigris: femina.

Habitat in pratis silvaticis mens. Jun. non frequens.

## LIII. *CALLIDIUM.*

*Palpi* quator clavati. *Maxilla* membranacea bifida. *Labium* bifidum: laciniis tenuissimis. *Antennae* setaceae.

128. C. Salicis.

Thorace tuberculato, spinosoque rufum, pectore, elytrisque nigris. *F. Mant.* 154. 38.

*Stenocorus Ruficollis. Herbst Arch. Ins.* 5. 92. 3. *t.* 25 *f.* 13.

Generis in hoc Insecto incertitudo, summaque apud nos raritas, cum unum tantum specimen habuerim colore antennarum,

elytrorumque paullulum diverſum a *C. Salicis F.* occaſionem dedit mihi aſſumendi in *Fn. Etruſca* 1. 149. 373. *t.* 1. *f.* 4. pro nova ſpecie. Ad hoc igitur referantur deſcriptio, et ſigura l. c. exhibitae, et falſum *R. Etruſci* nomen deleatur. Videtur *Stenocorus*.

Lectum Florentiae.

### 129. C. Clavipes.

*Long.* 8. l. *Lat.* 2. ½ l.

Nigrum opacum, femoribus omnibus clavatis, antennis longioribus. *F. ſp.* 236. 4.

*Herbſt ap. Fueſl. Arch. Inſ.* 5. *t.* 26. *f.* 9.

Statura, et magnitudo *C. Bajuli*. Nigrum opacum. Antennae in noſtris (fortaſſe feminis) corpore paulo breviores, craſſae, articulis apice interno ſpina terminatis. Thorax ſubrotundus, depreſſus, uti totum corpus. Femora omnia valde clavata. Alae fuſcae.

Habitat in ſilvis rarum.

### 130. C. Variabile.

*Long.* 4. ⅔ l. *Lat.* 1. l.

Thorace glabro, corpore fuſco-aeneo, antennis, pedibuſque fuſcis. *F. ſp.* 237. 9.

*Cerambyx Variabilis* thorace mutico ſubrotundo inaequali glabro, pectore, anoque ferrugineis, antennis ferrugineis. *Linn. Syſt. Nat.* 635. 74. *F. Sv.* 669.

*Cerambyx Scaber. Pod. M. G. p.* 36.

*Friſch. Inſ.* 12. 345. *t.* 6. *f.* 3. 4.

*Schaef. Ic. t.* 4. *f.* 12.

Simile *C. Violaceo*, ſed minus. Variat colore: alterum violaceum; thorax ſubferrugineus, pedes ferruginei, femora clavata, nigra. Alterum thorace, elytriſque lividis, femoribus ſimilibus. *Fn. Sv.* 669.

Habitat in Pinetis.

131. C. GIBBOSUM?

*Long.* 4. l. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Thorace rotundato nigrum, elytris cinereo-fasciatis, basi bituberculatis, apice acuminatis. *F. Mant.* 156. 62.

Nostrum Insectum variare in multis videtur a *C. Gibboso F.* Utrum sit nova species, a descriptione periti judicabunt. Statura *C. Mystici*, at fere dimidio minus. Antennae corpore paulo breviores, subpilosae, articulis basi obsolete-cinereis, apice ferrugineo-fuscis, spinaque laterali parum perspicua instructis. Caput, et thorax nigra obscura immaculata tomentosa, uti totum corpus. Thorax non tantum rotundatus, sed globosus, et in medio valde convexus. Elytra basi obscure-nigra, et prope suturam utrinque valde tuberculosa fere uti etiam in *C. Mystico* observantur. In medio elytrorum fascia terminat lata cinerea, cui superius incumbit striga linearis arcuata nigra: mox sequitur fascia atra latitudine praecedentis cinereae: et demum aequele spatium cinereum terminat elytra apice obtruncato, et in spinam validam margine externo excurrente. Pedes fusco-nigri tarsis subferrugineis.

Lectum in montuosis.

132. C. PUSILLUM.

Thorace rotundato nigrum, antennis tibiisque testaceis. *F. Mant.* 155. 39.

Corpus *C. Alni* minus, obscure nigrum. Antennae corpore longiores testaceae pilosae. Thorax rotundatus, subdepressus, muticus. Pedes femoribus clavatis fuscis, tibiis, tarsisque testaceis. Alae albae.

Habitat Pisis.

## LV. *LEPTURA.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* unidentata, apice setosa. *Labium* membranaceum bifidum. Antennae setaceae.

* 133. L. Elongata.

*Long.* 7. ½ l. *Lat.* 2. l.

Nigra, elytris testaceis: punctis duobus, cruce, fasciisque nigris. *Fn. Sv. Ed.* 2. 2275.

Nigra, corpore elongato, elytris flavis: maculis sex nigris, pedibus, antennisque nigro flavoque maculatis. *De Geer. Ins.* 5. 134. 10.

*Leptura* nigra elytris testaceis: punctis duobus, cruce faciisque nigris. *Geoff. Ins.* 1. 224. 5. *Le Stencore jaune à bandes noires.*

*Schaef. Icon. t.* 58. *f.* 10.

Descriptiones *De Geeriana*, et *Geoffroyana* optimae. Magnitudo *L. Quadrifasciatae*, at corpus magis elongatum, magisque apice attenuatum. Antennae corpore subbreviores nigrae articulis basi flavescentibus. Caput nigrum. Palpi flavi apice nigri. Thorax niger flavo-pubescens, antice angustatus, utrinque tuberculosus angulis posticis acutis. Elytra flava antice nigro-punctata, posticeque fasciis tribus nigris, prima late interrupta, apice attenuato truncato. Pedes primi, et secundi paris flavi tarsis nigris: postici femoribus, tibiisque basi dimidiato-flavis. Tibiae posticae saepius, at non semper latere interno versus apicem deficientes, quasi mutilatae, dentatae; forte distinctio sexus.

Habitat flores in silvis non rara.

## LVII. *PYROCHROA.*

*Palpi* quatuor subfiliformes. *Maxilla* integra. *Labium* corneum lineare integrum. *Antennae* filiformes.

134. P. Coccinea.

*Long.* 8. l. *Lat. unius elytri ad apicem desumta* 1. ½ l.

Nigra, thorace, elytrisque sanguineis immaculatis. *F. ſp.* 254. 1.
*De Geer. Ins.* 4. 47. 4.
*Villers Ent. t.* 2. *f.* 35.
*Schrank. E. I.* 323.

In nostris caput semper nigrum, fronte foveola ampliuscula impressa. Elytra nullo modo striata.
Habitat Florentiae, et Pisis in sepibus non frequens. Lecta ineunte Aprili.

## LXI. *CUCUIUS*

*Palpi* quatuor aequales, articulo ultimo truncato, crassiori.
*Labium* breve bifidum: laciniis linearibus distantibus.
*Antennae* filiformes.

### 135. C. Testaceus.

*Long.* 1. $\frac{1}{6}$ l. *Lat.* $\frac{1}{4}$ l.

Thorace subquadrato mutico testaceus, femoribus compressis. *F. Mant.* 166. 7.
Triplo, aut quadruplo minor *C. Flavipede*; statura fere eadem. Antennae longitudine fere corporis filiformes, testaceae, graves. Corpus elongatum depressum testaceum immaculatum. Pedes breves testacei femoribus compressis.
Habitat sub corticibus.

## LXII. *CANTHARIS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* integrum.
*Antennae* filiformes.

### 136. C. Pallida.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Thorace marginato, atra, elytris, pedibusque pallide-testaceis. *F. Mant.* 167. 12.
Parva. Caput atrum antennarum basi, palpisque pallidis. Thorax marginatus ater immaculatus. Corpus atrum pedibus pallidis. F. Femora nigra. Alae albae.
Habitat in plantis frequens.

137. C. Plumbea.

*Long.* 2. l. *Lat.* ½ l. vix.

Plumbeo-nigra. *Ent. Par.* 63. 15.
Antennae maris vix thoracem aequant, in femina dimidii corporis longitudinem. Nigra nitida. *Villers Ent.* 4. 320. 20.
Habitat in floribus.

## LXIV. *NECYDALIS*.

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* unidentata. *Labium* membranaceum late emarginatum. *Antennae* filiformes.

* 138. N. Hybrida.

Thorace teretiusculo rufo, elytris subulatis, basi, suturaque testaceis, margine, et apice nigris.
Tuto determinare haud potui. Sub hoc nomine peritioribus judicandam relinquo.
Statura, et magnitudo omnino *N. Caeruleae*. Caput, antennaeque nigrae. Thorax punctis duobus impressis, teretiusculus rufus. Elytra lineis tribus elevatis striata, subulata, basi suturaque usque ad medium testacea, toto margine externo, apiceque nigra. Pectus atrum, Femora postica clavata, arcuata, tota atra nitida. Alae nigrae.
Lecta in Pastinacae floribus.

139. N. Flavescens.

Elytris subulatis testaceis, corpore nigro, femoribus posticis clavatis arcuatis. *Linn. Syst. Nat.* 642. 8.
*Necydalis Flavescens* nigra, elytris testaceis subulatis, femoribus posticis clavatis. *De Geer. Ins.* 5. 155. 4. *La Necydale jaune*.
*Cantharis Femorata. Scop. E. Carn.* 145.

*Cantharis Fulva.* *Geoff. Ins.* 1. 343. 4. *La Cantharide fauve, à grosses cuisses.*

*Cantharis Flavescens*, subvillosa elytris attenuatis. *Geof. Ins.* 1. 343. 5. varietas.
*Schrank. E. I.* 315?

Hanc unam eamdemque speciem esse cum *N. Podagrariae Fabricii ſp.* 264. 8. asserere haud dubitamus. Saepe eodem tempore, et loco in silvestribus tantum, plura hujus speciei lecta individua, semperque observatum variare femoribus posticis nunc clavatis, nunc simplicibus, clava modo ad basin testacea, modo tota nigra. In iis quibus pedes omnes simplices sunt, color pedum semper testaceo-flavus, femorum anticorum apice, tibiis, tarsisque subnigris; thorax semper testaceo-flavus, elytrisque concolor, ad fulvum quandoque vergens, uti etiam maxima abdominis pars: Caput nigrum. Antennae nigrae basi testaceae. Alae fuscae. Quae vero femoribus gaudent clavatis, corpus totum aeneo-nigrum, primi, et secundi paris pedibus tantum, elytrisque exceptis testaceo-flavis. In omnibus thorax, ac elytra pubescunt. Apex elytrorum interdum niger. In hac *Necydali* femora postica clavata marem designare videntur.

*Necydalis Podagrariae* elytris subulatis testaceis corpore nigro, femoribus posticis clavatis, basi testaceis. *F. ſp.* 264. 8. si species omnino distincta est a *N. Flavescente*, uti judicat *Cl. Villers Ent.* 1. *p.* 281., ego etiam fateor me numquam vidisse. Certum tamen est *Necydales* admodum variare. Valde variat *N. Rufa*, et ex observationibus nostris (conf. *Fn. Etruscam*) constat esse masculum *N. Atrae*: *N. Ruficollis* forte una eademque species est cum *N. Caerulescente*: *N. Viridissima, et Caerulea* etiam variant saepe colore, et occurrunt apud nos frequenter femoribus posticis nunc simplicibus, nunc clavatis: Erraret ne igitur Entomologus, qui diceret in hoc genere species nimis auctas?

Habitat in sepibus ubi *Podagraria* crescit.

## LXV. *E L A T E R.*

*Palpi* quatuor securiformes. *Maxilla* unidentata, obtusa. *Labium* bifidum. *Antennae* filiformes.

### * 140. E. Litigiosus.

*Long.* 6. l. *Lat.* 1. l. et ultra

Testaceo-rufus, oculis solis nigris, antennis vix thorace longioribus.

Magnitudo, et statura *E. Lineati Vill.* Elytra laeviter striata. Alae fuscae. Videtur nova species affinis *E. Austriaco Schrankii*, at difficillime distinguenda. Magnitudine variat minori.

Habitat in plantis obvius.

### 141. E. Lineatus.

*Long.* 4. l. *Lat.* 1. l.

Niger, elytris obscure-lividis, fusco sublineatis. *Villers. Ent.* 1. 304. 6.

Corpus mediocre fuscum. Antennae subferrugineae. Elytra obscure-livida lineis duabus nigricantibus versus suturam dorsalem positis. *Vill.*

In nostris speciminibus sane multis, pedes testacei, et elytrorum lineae omnes fuscae quasi in strias gemellas digestae.

Habitat in plantis frequens.

### * 142. E. Cylindricus.

Aeneo-niger tomentosus, elytris laeviter puctato-striatis.
*E. Cylindricus D. de Paykull.*

Magnitudo praecedentis. Totus nigro-aeneus pubescens. Antennae thorace longiores.

Habitat ruri frequens.

## 143. E. Thoracicus.

Niger, thorace toto rufo. *F. ſp.* 270. 32.
*Elater* niger thorace rufo. *Geof. Ins.* 1. 132. 5.
*E. Gramineus Scop. E. Carn.* 290. In *E. Ruficolli Fn. Etr.* synonymia *Scopolina* delenda; hunc enim sub nomine *E. Graminei* indicare videtur *Scopoli*.
Statura *E. Ruficollis*, at duplo major. Antennae nigrae thorace subbreviores. Caput nigrum nitidum. Thorax latitudine elytrorum admodum convexus, globosus, superne totus rufus nitidus, inferne rufus septo, seu fascia longitudinali nigra ab ore diducta. Elytra subtilissime striata, nigra, nitida, scutello valde excavato, nigro. Abdomen, pedesque nigra. Alae fuscae. Differt ab *E. Ruficolli* magnitudine duplo majori, antennis brevioribus, minusque serratis; thorace supra toto rufo, subtus diversimode maculato, pedibus totis nigris ( in *E. Ruficolli*, rufis ), femoribus aliter conformatis, brevioribus, et non ita uti in illo depressis.
Habitat Florentiae.

## * 144. E. Binotatus.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Niger, ferrugineo-pubescens, elytris ad apicem macula pallide-flava.
Affinis *E. Bimaculato. Fn. Etr.* Totus niger fuscus, pube subferruginea tomentosus. Antennae fusco-nigrae longitudine thoracis. Thorax angulis posticis, seu dentibus admodum acutis, elytris nitidior. Elytra striata macula ad apicem pallide-flava. Pedes testacei femoribus fuscis. Alae albae. Occurrit sed rarissime elytris alio puncto flavo anteriore obsolete notatis.
Habitat sub arborum cortice.

## LXVI. *B U P R E S T I S.*

*Palpi* quatuor filiformes, articulo ultimo obtuſo truncato. *Maxilla* obtuſa unidentata. *Labium* cylindricum acuminatum. *Antennae* filiformes ſerratae.

### 145. B. 9-maculata.

Elytris ſerratis, nigra, fronte puncto unico, thorace quatuor, elytris tribus flavis. *F. Mant.* 179. 36.

Elytris integerrimis nigris, maculis tribus flavis longitudinalibus fronte, thoraciſque lateribus luteis. *Linn. Syſt. Nat.* 662. 17. *Fn. Etr.* 1. 187. 463.

Variat thorace maculis 2., 4., nullis, fronte immaculata, elytris ſemper maculis tribus. F.

Numquam vidi thorace quadrimaculato. Inter mea ſpecimina ſane plura, nam frequens eſt apud nos, habeo varietates fronte, thoraceque immaculatis, elytris maculis tantum quatuor poſticis: aliaſque quae praeter novem maculas ordinarias ulterius habent punctum flavum in elytrorum apice. Abdomen immaculatum. Elytra ſubtiliſſime ſerrata.

Habitat etiam in hortis.

### * 146. B. Cyanicornis.

*Long.* 5. l. *Lat.* 1. $\frac{3}{4}$. l.

Elytris integris, viridis, antennis cyaneis, femoribus anticis ſubtus aureo-ignitis, poſticiſque clavatis.

An *B. Femorata*. *Villers Ent.* 1. 338. 34. *t.* 1. *f.* 40. quae forte non rite ſatis deſcripta?

Paullo major *B. Manca*. Antennae thoraci ſubaequales baſi, ſeu articulo primo longiore, clavato, viridi, reliquis cordato-orbiculatis, compreſſis, cyaneis. Caput viride. Oculi nigri. Thorax planus lateribus rotundatis, dilatatis, antice poſticeque truncatus, viridis. Elytra viridia, ſubpunctata, ad latera coarctata, ad apicem attenuata, apice ipſo obtuſo. Abdomen ſub elytris caeruleum. Subtus tota

viridi–aurea nitidior. Femorum anticorum apophyses, ac latus internum fere totum aureo–ignitum, splendidum. Femora postica vix pilosa, admodum incrassata, unde ampla cavitas utrinque in abdomine ad ea recipienda idonea. Alae obscurae costa obscuriori.
Habitat in plantis rara.

147. B. Deaurata.

Supra obscure–viridis, thoracis, elytrorumque margine aureo. An *B. Aurulentae*, seu potius *Deauratae* varietas. *F. Mant.* 182. 67?
Magnitudo praecedentis. Antennae nigrae. Caput obscure viridi–aeneum, pilosum villo albicante tenuissimo. Thorax fere planus, subpilosus, lateribus rotundatis, in medio viridis, margine exteriore late, et obscure viridi–aeneo. Elytra integra, viridia, nitidiora margine exteriore aureo–rubro, nitidissimo, angustiori. Subtus tota cuprea splendida.
Lecta in silvis.

148. B. Rutilans.

Elytris tridentatis, viridibus, nigro maculatis, margine aureo. *F. Mant.* 177. 16.
*Buprestis Fastuosa. Jaqu. Misc. Austr.* 2. *t.* 23. *f.* 2.
*B. Rutilans. Villers. Ent.* 1. 336. 22.
Statura, et magnitudo fere praecedentis. Antennae serratae, nigrae. Caput, thoraxque viridia. Thorax auro late marginatus, punctatissimus. Elytra striata, ad suturam viridissima, ad marginem ignea, punctis nigris lucidis aspersa. Corpus aurato–viride. Elytra apice serrata.
Habitat Florentiae rara.

149. B. Elata.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$, 3. l. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Elytris integerrimis, linearibus, corpore elongato aeneo nitido. *F. Mant.* 184. 84.

Statura *B. Atrae* oblonga, at minor, et tota aenea nitida. F. Antennae thorace breviores serratae. Thorax antice valde convexus, postice depreſſus, sinuatus, marginatus. Elytra ante medium ad latera anguſtata, punctata, sutura prominula. Corpus elongatum.

Habitat in silvis.

150. B. Laeta.

Elytris integris viridibus, capite thoraceque aureis. *F. ſp.* 282. 59.

Statura, et magnitudo *B. Nitidulae*. Caput, thorax, pectus, abdomen aurea-nitida. Elytra, pedesque viridia. Thorax aureo ignitus, utrinque depreſſus uti in *B. Nitidula*. Deſcriptio *F. Syſt. Ent.* nullo modo cum meo ſpecimine convenit; corpus enim non lineare, non ſtatura *B. Viridis*, pedes demum non rufeſcentes.

Habitat Florentiae rara.

* 151. B. Caerulea.

Elytris integerrimis laevibus, corpore supra cyaneo, subtus plumbeo, oculis nigris.

Primo intuitu videtur varietas *B. Cyaneae*, ſtatura enim, et color ſuperius idem, at diſtincta. Corpus sublineare nitidum. Differt a *B. Cyanea* magnitudine interdum plus quam duplo minori, oculis nigris, elytris non rugosis, thorace convexiore, poſticeque magis lato, corpore subtus plumbeo.

Lectae quatuor in planta silvae Pisanae.

152. B. Pygmaea.

Elytris integris cyaneis, capite, thoraceque aeneis nitidis. *F. Mant.* 183. 78.

Statura et magnitudo *B. Minutae*. Caput, et thorax laevia, aenea, nitidiſſima. Elytra cyanea nitida, immaculata. Corpus obscure-nitidum.

Habitat in Umbellatis frequens.

153. B. Minuta.

Elytris integerrimis transverse rugosis, thorace subtrilobo laevi, corpore ovato nigro. *Vill. Ent.* 1. 334. 15.
*In Ed. XIII. Linn.* praetermissa.

Minor altera *B. Minuta*. *Geoff. Ins.* 1. 128. 6. *Cucujus fusco cupreus triangularis &c.*, cui similis, sed elytra sine fasciis undulatis, villoso-albidis. Hanc *Villers* credit veram *B. Minutam Linnaei*.

Habitat in plantis rarior.

* 154. B. Nitida.

*Long.* 2. l vix. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Elytris integerrimis, viridis, nitens, thorace foveola postica utrinque profunda excavato.

Statura *B. Salicis*, at fere dimidio minor. Caput viride. Frons impressa. Antennae nigrae thorace subbreviores. Oculi fusci. Thorax viridis, nitens, antice convexus, postice marginatus, et fossula magna utrinque profunde excavatus. Elytra viridia, nitida, integerrima, scabriuscula, acute-marginata, anticeque parum coarctata. Subtus tota subaeneo-viridis. β. Variat elytris aureo-rubris. Differt a *B. Salicis* magnitudine qua vix aequat *B. Nitidulam*, fossula thoracis valde profundiore, coleoptrisque ( etiam in varietate β., ) numquam aureis basi viridibus, sed totis aureis. A *B. Nitidula* vero differt praecipue forma thoracis omnino diversa.

Habitat in floribus compositis frequens.

## LXVIII. *ELAPHRUS*.

*Palpi* sex filiformes. *Labium* rotundatum, acuminatum, integrum. *Antennae* setaceae.

155. E. Caraboides.
*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{2}$ l.

*Cicindela Caraboides* thorace cordato hemisphaerico, marginato,

elytris nigro-aeneis, punctis copiosis impressis. *Schrank. E. I.* 193. 360.

*Villers Ent.* 1. 326. 14. *t.* 2. *f.* 39.

Caput, et thorax nigro-aenea. Oculi exserti, et maxillae insignes. Thorax perfecte cordatus, marginatus uti in *Carabis*, sed margo angustus linea longitudinali excavata. Elytra nigro-aenea maculis viridi-aeneis variegata, minutissime punctata; ad utrumque marginem puncta excavata lata in lineam longitudinalem disposita. Pedes fusci. Pectus nigro-aeneum. Abdomen atrum nitens. *Schr.*

Habitat in sabulosis non rarus.

### * 156. Nebulosus.

Obscure-aeneo-viridis, elytris cinereo nebulosis.

Statura *E. Flavipedis*, at triplo major. Antennae fuscae. Thorax cordatus linea longitudinali impressa. Elytra obscure-aeneo-viridia, laevia, ad suturam interdum bipunctata, et sparsim cinerea pube nebulosa. Subtus aeneo niger tibiis, tarsisque ferrugineis.

Habitat in locis arenosis frequens.

### * 157. E. Pyritosus.

Aeneus, elytris punctis duobus majusculis profunde impressis, pedibus atro-aeneis.

Proximus *E. Alpino D. de Paykull*, et praecedente paullo minor. Caput aeneum. Thorax aeneus, convexus, vix marginatus. Elytra aenea, subtilissime striata, punctis duobus valde conspicuis pone medium prope suturam, inter striam secundam, et tertiam impressis, altero anterius, altero posterius. Color supra prorsus aeneus, subtus atro-viridi-aeneus, nitidus. Pedes concolores nitidi.

Habitat cum praecedentibus rarior.

## LXIX. *H Y D R O P H I L U S.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* corneum subemarginatum. *Antennae* clava perfoliata.

### 158. H. Caraboides.

Niger nitidus, elytris substriatis. *F. ſp.* 289. 3. *Linn. Syst Nat.* 664. 2. *Fn. Sv.* 765.

*Hydrophilus Nigricornis. De Geer Ins.* 4. 376. 2.
*Geoff. Ins.* 1. 183. 2.
*Roes. Ins.* 2. *Aquat.* 1. *t.* 4. *f.* 1. 2.
*Schaeff. Ic. t.* 33. *f.* 10.
*Fn. Etr.* 1. 185. 482.

Niger laevis convexus, elytris punctato-striatis, capitulo antennarum perfoliato nigro, capite thoraceque striis punctorum abbreviatis recurvis.

Mas pedibus anticis absque palmulis, omnino feminae similis, mens. Mart. et April. coire solet. Penis insidet medius inter duo cornicula, seu potius appendices corneas, lamelliformes, apice attenuatas, quae ad introductionem, firmioremque copulam sustentandam accomodatae videntur. Ova magnitudine vix cedunt iis *B. Pavoniae Majoris*. Datur alius, mihi varietas, qui magnitudine excepta triplo, aut quadruplo minori, nulla alia nota distinguitur a praecedente, simulque frequens occurrit, nempe *H. Picipes. F. Mant.* 188. 6.

Habitat in aquis frequens.

### 159. H. Orbiculatus.

Subrotundus, corpore glabro. *F. ſp.* 290. 6.

Statura fere *H. Scarabaeoidis*, at minor, et fere orbiculatus. Antennae perfoliatae. Totus laevissimus, nitens. F.

Habitat in aquosis.

### * 160. H. Pallidus.

Pallidus laevis, abdomine, oculis, femoribusque subnigris.
Statura, et magnitudo omnino *H. Luridi*, sed caput, thorax, et elytra laevia, pallida, subdiaphana, interdum tamen fuscedine quadam aspersa. Abdomen, et femora obscure-nigra. Tibiae, tarsi, antennarum basis, et palpi pallide-rufi; hique porrecti, longiusculi. Variat quandoque elytrorum colore obscuriori.
Habitat in aquis stagnantibus.

## LXX. *DYTISCUS*.

*Palpi* sex filiformes. *Labium* corneum, truncatum, integrum; *Antennae* setaceae.

### 161. D. Dissimilis.

Niger, depressus, thoracis, elytrorumque margine exteriore ferrugineo-flavescente, elytris, in femina obscurioribus, minus laevibus fibrosis, neque striato-punctatis. *Fn. Etr.* 1. 199. 489.
Cum in determinando pro *D. Costali* varia sit Entomologorum sententia, nomen *D. Disparis* jam usurpatum mutavi. Valde affinis *D. Costali*, cui femina hujus praesertim simillima. Differt tantum magnitudine paullo minore, corpore toto subtus ferrugineo, striaque costali ferruginea apicem haud attingente, caetera aequalia. *Obs.* Fascia supra os puncto utrinque impressa, flavescens, supra quam aliud punctum majus adest similiter utrinque impressum. Mas variat colore testudineo-nigro, at rarissime.
Habitat in Arni aquis, etiam in fossis.

### 162. D. Bipustulatus.

*Long.* 3., 4.. 5. l. *Lat.* 1. $\frac{1}{2}$, 2., 2. $\frac{1}{2}$ l.

Ater laevis, capite postice punctis duobus rubris. *F. ſp.* 294. 15.

*Dytiscus* totus niger laevis. *Geoff. Ins.* 1. 189. 6. *Le Dytique en deuil*.
*Mull. Linn. Nat. Cl. v. p.* 350.
*Dytiscus Immaculatus. Schrankii E. I.* 377.
*Dytiscus Luctuosus. Ent. Par.* 1. 67. 6.
*Dytiscus Gronovi. Gron. Mus.* 2. *p.* 164. *n.* 555. *an?*
*Schaef. Ic. t.* 8. *f.* 9?

*Dytiscus* ater corpore convexo nigro toto, pedibus, antennisque rufo-fuscis. *De Geer Ins.* 4. 401. 8. *et variet.* β. *major* elytris rufo bipunctatis. Confer.

Anceps diu haesi an varietas a *De Geerio* indicata quae gaudet elytris rufo bipunctatis, distinguenda foret a *D. Bipustulato* F. Ut veritas, quam sequimur, clarius, certiusque innotescat, liceat observationes nostras in medium afferre, et peritioribus Entomologis subiicere.

Hi duo *Dytisci* qui eodem tempore, et loco apud nos etiam frequenter occurrunt, primo intuitu fere similes sunt, toti atri, unus altero minor, et in utroque caput postice punctis duobus rubris, vix oculo inermi conspicuis, notatur.

*Minor*: *D* ater laevis capite posterius punctis duobus rubris; sane est *D. Bipustulatus Fabricii*, uti magnitudine ab Authoribus allata, aliisque notis constare videtur.

*Major*: Varietas est elytris rufo-bipunctatis a *De Geerio* tantum l. c. supra indicata, scilicet *D. Ater* corpore convexo nigro toto, pedibus, antennisque rufo-fuscis; *Varietas*.

Observatum igitur *D. Minorem*. scilicet *Bipustulatum* constanter differre a *D. Majore*, seu var. *De Geerii* praeter magnitudinem, corpore, elytrisque minus convexis; immaculatis; apice magis depresso, et obtuso; pedibus quatuor anticis nigris, raro piceis. In *D. Majore* palpi, antennaeque rufae, et caput postice punctis duobus rubris uti in *D. minori* notatum, sed elytra magis convexa, apice magis elongato, et punctis in singulo binis rufis; altero pone medium versus marginem exteriorem oblongo; altero ad apicem rotundo, quae etiam nudis oculis in Insecto praesertim vivo aspiciuntur, et avulsis elytris si inferna parte observentur, eo quod pellucida, manifestissime apparent. Pedes quatuor

antici subrufi, tarsis tribus primis pilis canis hispidis, quasi fasciculatis. Alae in hoc uti in praecedente albohyalinae, ad costam marginemque tenuiorem fusco-nebulosae.
Hae notae, cum nemo adhuc asserat observasse *D. minorem* copula junctum cum *D. majore*, sufficientes videri possent ad declarandos eos specie distinctos. Attamen nos, rebus omnibus bene perpensis, cum *De Geerio* credimus unam eamdemque speciem esse, quae variat magnitudine majori, elytrisque magis convexis, rufo bipunctatis.
Habitat in aquis frequens.

163. D. Transversalis.

Ater, thorace antice ferrugineo, elytrorum margine, strigaque baseos abbreviata flavis. *F. Mant.* 191. 23.
*Dytiscus* niger, thorace utrinque, fasciaque antica, elytris margine, lineaque transversa baseos flava. *Mull. Zool. Dan. prodr.* 71. 668.
*Pontop. Atl. Dan.* 1. *t.* 29. *Bergstr. Momencl.* 1. *t.* 29.
Habitat in aquis.

* 164. D. Pustulatus.

Niger laevis, macula frontis lunulata rufa.
Statura, et magnitudo *D. Striati*. Os, antennae, palpique rufi. Caput nigrum macula magna frontis rufa, in Insecto vivo, praesertim natante maxime conspicua, post mortem certo tantum situ visibili. Thorax imo margine laterali subrufo. Elytra nigra laevia immaculata. Subtus piceus pedibus anticis subrufis. Capitis clypeus antice utrinque punctis duobus impressis, uti in *D. Striato*, sed in hoc disiunctis, in illo contiguis. Aqua extractus, digitisque ad examinandum leniter contrectatus, vitam quae in aliis diu permanet, deserit brevi.
Habitat cum praecedente.

165. D. Hybneri.

Laevis ater, ore, thoracisque margine ferrugineis, elytris linea marginali flava. *F. Mant.* 190. 21.

Magnitudo, et statura *D. Ttransversalis*. Caput nigrum, ore, antennis, palpisque pallide-ferrugineis. Thorax niger margine imprimis antice ferrugineo. Elytra laevia, atra, striata, striis in singulo tribus punctatis vix oculo inermi conspicuis, lineaque flava marginali, quae tamen apicem haud attingit. Subtus niger pedibus quatuor anticis flavis; et primi paris in masculo patellatis.
Habitat in aquis sat frequens.

### * 166. D. Taeniatus.

Supra niger laevis nitidus, subtus ferrugineus, ore, verticis punctis duobus, thoracis margine, fasciaque media flavis.
Statura *D. Cinerei*, magnitudo *D. Transversalis*. Caput nigrum ore, lineola trigona media, punctisque verticis duobus transversis flavis, fere uti in *D. Cinereo*. Antennae palpique rufi. Thorax antice, posticeque niger nitidus margine laterali, fasciaque transversa media marginem utrinque attingente flavis. Elytra glabra, laevia, nigra nitida, punctis minutissimis flavis undique irrorata, sed oculo tantum armato conspiciendis. Subtus totus flavo-ferrugineus. Caput antice utrinque punctis duobus impressis, distantibus.
Habitat in aquis rarus.

### 167. D. Bipunctatus?

Ater, thorace flavo, punctis duobus nigris, elytris flavo-fuscoque variis. *F. Mant.* 190. 19.
Statura *D. Fenestrati*, et vix major. Caput nigrum ore subferrugineo, fronte, armato oculo, rufo bipunctata. Thorax pallide-flavus punctis duobus dorsalibus atris. Elytra laevia, glabra, pallide-flava, nigro variegata. Pectus nigrum. Abdomen, pedes, antennae testaceae. Anceps diu haesi, anne potius referendus esset ad *D. Irroratum*. *F.* Color abdominis magis convenit, at magnitudo removet.
Lectus super herbam in prato palustri.

### 167.[2] D. Uliginosus.

*Long.* 2. $\frac{1}{3}$, 3. l. *Lat.* 1. $\frac{1}{4}$ l.

Ater, nitidus, antennis, pedibus, elytrorumque latere exteriore

ferrugineis. *F. ſp.* 295. 21. *Linn. Syst. Nat.* 667. 20. *Fn. Sv.* 776.
*Mull. Linn. Nat. cl. v. p.* 350.
*Scop. E. Carn.* 296.
*Schrank. E. I.* 378.

Magnitudo *G. Natatoris*. Caput, palpi, antennae, pedesque rufi. Thorax rufus margine antico obscuriori. Elytra nigricantia punctulis excavata, latere exteriore rufo flavescente. Abdomen nigrum.

Habitat in aqua stagnante.

168. D. Minutus.

Flavescens, elytris fuscis, margine flavo-maculato. *F. ſp.* 297. 36.

*Dytiscus Minutus* elytris fuſcis baſi, lateribus pallidis, thorace flavo immaculato, corpore ovato. *Linn. Syst. Nat.* 667. 23. *Fn. Sv.* 778.

*Dytiscus Ruficollis* rufus, elytris ſtriatis, flavo-griſeis, maculis nigris. *De Geer Ins.* 4. 404. 18. *t.* 16. *f.* 9. 10. *descr. optima*
*Geof. Ins.* 1. 12.

Ad basin abdominis lamina magna mobilis femorum partem obtegens. Variat capite nigro, elytris modo maculis nigris, modo immaculatis.

Habitat in aquoſis.

## LXXII. *Carabus*.

*Palpi* sex articulo ultimo obtuso, truncato. *Labium* integrum truncatum. *Antennae* filiformes.

169. C. Pupurascens.

Niger thoracis, elytrorumque marginibus violaceis, elytris rugose punctato-sriatis. *Mon. Car. n.* 4.

*C. Purpurascens*. *F. Mant.* 195. 6.
*Schaeff. Ic. t.* 88. *f.* 1.

Statura, et magnitudo *C. Violacei*. Caput nigrum. Antennae apice fuscescentes. Thorax niger margine acute elevato, violaceo, obcordatus, subpunctatus, longitudine latior, lineola longitudinali, dorso convexo postice retuso. Elytra nigra convexa, rugose punctata, margine violaceo purpurascente. Subtus totus niger.

Habitat apud nos rarior; bis tantum inventum cadaver in silvis.

170. C. Hortensis. (*a*)

Apterus, niger, elytris subrugoſis, punctis aeneis excavatis triplici ſerie, margine cyaneo. *F. Mant.* 196. 16.
*C. Hortensis*. *Linn. Syst. Nat.* 668. 3. *Fn. Sv.* 783.
*C. Violaceus*. *De Geer Ins.* 4. 89. 3.
*C. Hortensis* niger, thorace latiore, elytris subrugoſis, margine, punctisque triplici serie excavatis aeneis. *Mon. Car. n.* 7.
*Schaef. Icon. t.* 11. *f.* 2.

Statura *C. Glabrati*. Latitudo *C. Violacei*, sed brevior. Caput nigrum. Oculi pupillati. Antennae apice fuscescentes. Thorax niger convexus, linea longitudinali, obcordatus, latitudine fere baseos elytrorum, margine parum prominulo, aeneo-purpurascente. Elytra nigra, convexa, margine subaeneo, minime striata, rugis vix nudis oculis conspicuis, punctis aeneis triplici serie excavatis. Sternum, abdomen, pedes nigra nitida. Differt a *C. Gemmato* cui affinis, latitudine thoracis, et elytris haud striatis. *Mon. Car. l. c.*

Habitat in putridis. Apud nos minime frequens.

---

(*a*) In Fn. Etr. 1. 205. 506. *deleatur nomen* C. Hortensis, *et ad* C. Auropunctatum *referantur descriptio*, *et figura l. c. exhibitae*.

## 171. C. Convexus.

Apterus, convexus, ater, laevis, thorace postice emarginato. *F. Mant.* 197. 22.

*C. Convexus*, niger, thorace semirotundato, elytris convexis, subtilissime punctato-striatis, margine exteriore subviolaceo. *Mon. Car. n.* 13.

*Schaef. Icon. t.* 3. *f.* 2.

Magnitudo *C. Aurati*, vel *C. Violaceo* dimidio minor. Caput nigrum. Thorax totus niger margine concolore, convexus, subtilissime punctatus, semirotundatus. Elytra nigra, convexa, subtilissime punctato-striata; summo margine exteriore subviolaceo, nitido. Subtus totus niger. Differt a *C. Violaceo*, et *Purpurascente* magnitudine duplo minori, thoraceque unicolore semirotundato, non obcordato. *Mon. Car.*

Lectus in Pisano nemore.

## * 172. C. Paykullii.

Niger nitidus, capite maximo exserto, thorace obcordato, elytris laevibus, tenuissime punctato-striatis.

Magnitudo *C. Spinigeri*. Caput nigrum maximum latitudine fere thoracis, uti in *C. Interrupto*, at magis exsertum. Maxillae, oculique nigri. Palpi picei. Antennae crassiusculae, capite, thoraceque breviores fuscescentes, primis quatuor articulis nigris nitidis. Thorax niger cordatus, marginatus, convexus, antice latitudine elytrorum, postice paullo angustior, linea longitudinali, striaque magna postica utrinque late, ac profunde excavata. Elytra nigra laevia, connata, convexa, tenuissime punctato-striata, punctis discoidalibus majoribus nullis, summoque margine exteriore impunctato. Sternum nigrum. Abdomen nigrum, interdum piceum. Pedes nigri, breviores femoribus incrassatis. Alae nullae. Forma thoracis latior quam in *C. Spinigero* magisque subquadrata.

Insectum dicatum Nobil. ac celeberrimo viro *Gustavo de Paykull* ad universam Naturalem Historiam locupletandam nato,

Entomologo summo, et in ordinandis, illustrandis, describendisque miro successu variis Insectorum generibus nulli secundo.
Habitat Florentiae rarus.

### 173. C. Granulatus.

Apterus, nigricans, elytris aeneis striatis, interiectis punctis elevatis longitudinalibus. *F. Mant.* 197. 25.
Apterus, niger supra aeneus, elytris tuberculis elevatis triplici ordine, sulcisque elevatis. *Mon. Car. n.* 9.
*C. Granulatus. Linn. Syst. Nat.* 668. 2. *Var.* γ. *Fn. Sv.* 781. *Var.* γ.
*C. Convexepunctatus. De Geer Ins.* 4. 88. 2.
*Villers. Ent.* 1. 367. *in calce Observ.*
*Schaef. Icon. t.* 18. *f.* 6. *t.* 46. *f.* 4. parva, et male picta.
Magnitudo *C. Clathrati*, saepius minor. Caput nigrum nucha aenea. Thorax supra aeneus, subtus obscure aeneo-niger, obcordatus, subtilissime punctatus, lineola longitudinali. Elytra aenea thorace latiora; sulcis tribus elevatis, interiectis tuberculis elongatis triplici serie: margine exteriore dilatato, punctato. Alarum rudimenta paulo quam in reliquis hujus familiae majora, sed tamen volando minime idonea. Sternum, abdomen, pedes nigra. Variat basi antennarum, femoribusque ferrugineis. *Mon. Car.*
*Var.* β. Niger, elytris subvirescentibus, tuberculis elongatis triplici ordine, sulcisque elevatis. *Mon. Car.*
*C. Granulatus. Linn. Syst. Nat.* 668. 2. *var.* β. *Fn. Sv.* 781. *var.* β. *C. Granulatus.*
Habitat cum praecedente cui simillimus. An var. sexus?
*Var.* γ. Niger elytris tuberculis elongatis, elevatis, triplici ordine, sulcisque elevatis.
*C. Granulatus. Linn. Syst. Nat.* 11. 668. 2. *var.* α. *Fn. Sv.* 781. *var.* α. *C. Granulatus.*
Habitat cum praecedentibus, et apud nos frequentissimus.

## 174. C. Leucophthalmus.

Apterus, niger, elytris decemſtriatis, diſco quadripunctatis, thorace ſemirotundato, poſtice utrinque biſtriato. *Mon. Car. n.* 16.

*C. Leucophthalmus. F. Syst. Ent.* 240. 23.
*C. Leucophthalmus. Linn. Syst. Nat.* 668. 4. *Fn. Sv.* 784.
*Geoff. Ins.* 1. 146. 7.
*Scop. Ent. Carn.* 266. *Schrank. E. I.* 396.
*Fn. Etr.* 1. 207. 511.

Caput nigrum nitidum. Antennae apice fuscescentes. Thorax niger nitidus, convexus, marginatus, semirotundatus, antice latitudine fere elytrorum, postice angustior, utroque angulo bistriato. Elytra nigra, thorace opaciora, capite, thoraceque longiora, subconvexa, decemstriata striis profundioribus; in stria secunda a sutura utrinque puncta bina minutissima excavata, vix nudis oculis conspicua, quorum alterum fere in medio, alterum apici propius. Sternum nigrum nitidum. Abdomen dimidio corpore longius, nigrum nitidum. Pedes nigri. Obs. *Carabus a De Geer Ins.* 4. 96. 12. *et a Fab. ſp.* 304. 29. *et Mant. Ins.* 198. 41. sub nomine *Leucophthalmi* descriptus, *C. Striatum*, vel *Nigritam* sistere videtur, quia alatus. Mire hi omnes *Carabi* nigri ob negligentiam Authorum confusi sunt, licet certe specie differant, et optimas differentias specificas praebeant. Nescio etiam qua ratione Auctores octo tantum strias hujus speciei numerant, et strias binas ultimas in margine exteriore omittunt, leviores quidem, nudis tamen oculis bene perspicuas. *Mon. Car. l. c.*

In meis speciminibus quae aptera sunt, et omnino conveniunt cum allata *Monographiae* descriptione, thorax non tantum postice utrinque bistriatus ( nota constantissima, qua a plerisque suae gentis optime distinguitur, ) sed etiam sulco longitudinali profunde exaratus, et margo elytrorum exterior conspicue punctatus.

Habitat in putridis, et sub lapidibus frequens.

175. C. Auro-punctatus.

Alatus, niger, laevis, thorace postice emarginato, elytris subtilissime punctato-striatis, punctisque paullo majoribus triplici serie excavatis. *Mon. Car. n.* 41.

*C. Auro-punctatus. Herbst.*

*C. Indagator. F. Mant.* 197. 35? affinis videtur, sed apterus ille, hic alatus; an a Cel. Auctore oculo modo fugitivo descriptus?

*Fn. Etr. t.* 1. *f.* 3. ad hunc *Carabum* pertinet. *v. C. Hortensis.*

Caput totum nigrum. Antennae apice fuscescentes. Thorax niger, laevis, marginatus, obovatus, longitudine fere duplo latior, lateribus rotundatis, antice truncatus, postice subemarginatus. Elytra nigra thorace paullo latiora, subtilissime punctato-striata: punctis paullo majoribus, triplici serie excavatis. Sternum, abdomen, pedes nigra. Tibiae curvatae. Femina mari simillima, sed colore supra subvirescente punctis aeneis triplici serie; abdomine paulo latiore, tibiisque anticis brevioribus. *Mon. Car.*

In Svecia variat magnitudine paullo minore.

Habitat in pratis silvaticis, frequens m. Jul. post foenisecium.

176. C. Terricola.

Niger, abdomine longiore, elytris subviolaceis, striatis, disco impunctatis, thorace obcordato, utrinque postice impunctato. *Mon. Car. n.* 17.

*C. Terricola. Herbst. ap. Fuesl. Arch. Ins. 6. p.* 140. 51. *t.* 29. *f.* 14.

Magnitudo *C. Leucophthalmi.* Caput nigrum nitidum. Palpi, antennaeque fuscescentes. Thorax niger nitidus, obcordatus; lineola longitudinali, punctoque utrinque postice excavato. Elytra subviolacea, *subdepressa*, striata, diſco impunctata, margine exteriore punctata, capite, thoraceque multo longiora. Sternum nigrum nitidum. Abdomen nigrum nitidum. Pedes nigri tarsis fuscescentibus. *Mon. Car. l. c.*

Inter *C. Apteros* a Cl. Authore numeratus, at mea ſpecimina ſemper alata.

Habitat cum aliis frequens.

177. C. Punctulatus.

Niger, thorace quadrato, elytris ſtriatis punctis plurimis longitudinalibus impreſſis. *Fn. Etr.* 1. 215. 530.

*Bupreſtis* ater laevis, pedibus, antennarumque baſi ferrugineis. *Geof. Inſ.* 1. 161 39.

*Car. Flavipes*, niger, ſubtus piceus, pedibus rufis, thorace ſubquadrato, elytris arcte juncto, elytris novem-striatis: ſtriis quatuor punctatis. Apterus. *Mon. Car. n.* 21.

Habitus, et ſtatura *C. Melanocephali*, at duplo major. Deſcriptio *Monographiae* optima. Pedes in noſtris plerumque rufo fuſceſcentes.

Habitat ſub terra, et in ligno putrido obvius.

178. C. Striatus.

Niger, thorace poſtice foveola utrinque biloba, elytris ſtriis novem profundioribus: punctis tribus diſcoidalibus. *Mon. Car. n.* 26.

*C. Nigro-ſtriatus*, alatus totus niger nitidus, elytris ſtriatis. *De Geer. Inſ.* 4. 96. 12.

*C. Leucophthalmus*. *F. Mant.* 198. 41.

Caput nigrum. Maxillae, palpique picei. Antennae apice fuſceſcentes. Oculi pupillati. Thorax niger nitidus, cordatus, marginatus, parum convexus, lineola longitudinali profundiori, foveolaque biloba utrinque in angulo poſteriore excavata. Elytra nigra convexa, marginata, novemſtriata: punctis tribus minutiſſimis in ſtria tertia a margine interiore, quorum primum ad baſin, ſecundum in medio, et tertium apici propius eſt. Alae albohyalinae nervis flaveſcentibus. Sternum, abdomen, pedes nigra. Paullo minor *C. Spinigero*, ſeu *C. Obſoleto*. *Fn. Etr.* Magnitudo non variat. Confuſus cum *C. Leucophthalmo*, et *C. Nigrita* qui ſane

diverſi. Differt enim a *C. Leucophthalmo* magnitudine majori, thorace cordato, et elytris utrinque diſco tripunctato; a *C. Nigrita*, magnitudine duplo majore, et thorace cordato. *Mon. Car. l. c.*

Thorax in medio nonnihil complanatus, et corpus ac elytra minus quam in *C. Leucophthalmo* convexa; Noſtrates tamen vix eum magnitudine ſuperant, et pedes habent, forte ratione aetatis, ſubrufos, in reliquis conveniunt omnino cum Svecis.

Habitat ſub terra Martio m. frequens.

## 179. C. Cinctus.

Fuſcus, capite, thoraceque viridi-aeneis, elytrorum margine, pedibusque pallidis. *F. ſp.* 310. 62.
*Fn. Etr.* 1. 212. 523. *t.* 4. *f.* 9.

Color capitis, thoraciſque viridi-aeneus, elytrorum profunde-cyaneus. Magnitudo ſemper eadem. Confer *Fn. Etr. l. c.*

Habitat hieme ſub cortice Roboris; mox ſaepe lectus etiam in Ulmo.

## 180. C. Ruficornis.

Alatus, niger, antennis, pedibusque ferrugineis, thorace baſi ſubretuſo, ſubrugoſo, elytris ſtriatis, ſubtiliſſime punctatis, ſubvilloſis. *Mon. Car. n.* 74.
*C. Ruficornis. F. Mant.* 199. 48.
*Geoff. Inſ.* 1. 160. 38. *Le Bupreſte noir velouté.*
*Fn. Etr.* 1. 213. 526. *t.* 3. *f.* 7. *C. Pulverulentus.*

*C. Cupreo* longior, et latior. Caput nigrum punctis duobus frontalibus impreſſis. Maxillae piceae. Antennae, palpique ferruginei. Thorax niger elytrorum latitudine, lineola longitudinali, antice glaber, poſtice loco punctorum ordinariorum ſubretuſus, leviſſime rugoſus. Elytra nigra ſtriata, oculo armato undique ſubtiliſſime, confertiſſimeque punctata apparent; e puncto ſingulo pilus breviſſimus ſubflaveſcens oritur: hinc elytra undique ſubtiliſſime villoſa, certo ſitu

flavicantia, micantia: margini inſunt puncta nulla diſtincta majora. Sternum, et abdomen piceo-nigra. Pedes flavo-ferruginei. Mas feminae ſimillimus. *Mon. Car.*

Habitat in ligno putreſcente, et ſub lapididus rarior.

### 181. C. Vestitus.

Subtus niger, ſupra viridi-aeneus, antennis, pedibusque pallidis, elytris pubeſcentibus, punctato-striatis, punctis majoribus nullis, limbo exteriore pallido poſtice latiore. *Mon. Car. n.* 44.

*C. Marginatus. Linn. Syst. Nat.* 670. 16.

*Geoff. Ins.* 1. 162. 41. *Le Bupreste vert à bordure.*

C. *Marginatus. F. Mant.* 202. 84. ab hoc diverſus, et a *Linnaeo* in *Fn. Sv.* 804. deſcriptus.

Magnitudo *C. 6-punctati*. Caput nigrum ſupra viridi aeneum, nitidiſſimum, glaberrimum. Oculi nigri. Palpi pallide-ferruginei. Antennae pallidae longitudine dimidii corporis. Thorax latitudine longitudinis, ſubtus niger, ſupra viridi-aeneus pube tenuiſſima linea longitudinali, punctoque utrinque baſeos. Elytra viridia ſtriata, ſubtiliſſime punctata pube tenuiſſima certo ſitu ferrugineo micanti penitus tecta; punctis diſcoidalibus majoribus nullis limbo exteriore pallido, apice latiore. Alae albohyalinae. Sternum nigrum pube tenuiſſima. Abdomen nigrum pube tenuiſſima certo ſitu ferrugineo micanti. Pedes pallidi. *Obs.* Differt a *C. Marginato*, cui habitu, et ſtatura ſimilis, corpore pubeſcente, elytris punctis diſcoidalibus nullis, limbo poſtice latiore teſtaceo; pedibusque totis pallidis. Hanc ſpeciem illuſtris *a Linné in Syst. Nat. l. c.* deſcripſit; *Marginatum* vero in *Fn. Sv.* ſub eodem nomine licet certe diverſae ſint. *Mon. Car.*

*Carabus* hic cui competit omnino allata deſcriptio, et magnitudo *C. 6-punctati* rarior habitat apud nos. At contra occurrit alius frequens, in *Fn. Etrusca* ſub nomine *C. Marginati* non recte deſcriptus, qui mihi modo erit varietas β. *C. Vestiti*, nam si species (uti videtur) diſtincta, ſane admodum proxima eſt *C. Vestito*, cum differat tantum

magnitudine duplo majori, thorace magis ſubquadrato, elytriſque limbo exteriore pallido, poſtice vix latiori.
Habitat ſub lapidibus, et in truncis arborum carioſis. *Var.* β. quae in *Mon. Car.* deſcribitur, mihi prorſus ignota.

### * 182. C. Spoliatus.

*Long.* 7. l. *Lat.* 2. $\frac{2}{3}$ l.

Capite, thoraceque aeneis, elytris viridi-cupreis, limbo exteriore pallido, undique aequali, ſutura aeneo lucida.
Magnitudo *C. Veſtiti var. major* β., ejuſdemque ſtaturae, at thorax paullo anguſtior, fere obcordatus. Caput aeneum nitens. Palpi rufi. Antennae in vivo piceae tribus primis articulis pallide rufis. Thorax aeneus nitens fere obcordatus, linea longitudinali, punctiſque oblongis majuſculis poſticis profundius excavatis. Elytra viridi-cuprea, ſtriata, punctis diſcoidalibus nullis, limbo exteriore pallido undique aequali, et ad imum ſuturae marginem aeneo lucida. Sternum, et abdomen etiam ſub elytris nigrum. Pedes pallidi. Alae albae. Differt a *C. Veſtito var. major* β.; antennis piceis primis articulis pallide-rufis; in *C. Veſtito* totae pallidae rufae. Differt thorace paullo anguſtiore, magis obcordato, elytris non pubeſcentibus, non viridi-holoſericeis, magis convexis, magiſque ad cupreum vergentibus, ſutura aeneo-lucida, thoracique concolori; demum differt abdomine etiam in dorſo toto nigro; In *C. Veſtito var.* β. Abdomen nigrum margine tamen ſub elytris late pallido. Praetereaque in *C. Spoliato* elytrorum limbus exterior, pedeſque paullo pallidiores, et fere albidi. Coloris diverſitas, thorax longior, et anguſtior, et abdominis dorſum omnino nigrum, praeter alias notas, differentiam conſtantem ſpecificam ſtatuere videntur. Addendum quod *C. Spoliatus* rarior, et numquam inventus cohabitare cum *C. Veſtito*.
Habitat in truncis putreſcentibus minime frequens.

### 183. C. Nigricornis.

*Long.* 4. ½. l. *Lat.* 2. l.

Niger, thorace cupreo, elytris ſtriatis, viridibus, pedibus piceis. *F. Mant.* 202. 82.

Niger, laevis, thorace, capiteque aeneis, elytris ſtriatis viridibus, punctis discoidalibus nullis. *Mon. Car. n.* 70.

Caput ſupra viridi-aeneum nitidissimum, ſubtus nigrum. Oculi, maxillae, palpique nigri. Antennae longiores nigrae primo articulo rufo. Thorax ſupra aeneus, ſubtus nigro violaceus, capite multo latior, oculo armato ſubtiliſsime punctatus, lineola longitudinali, punctisque ordinariis poſticis profundius excavatis. Elytra viridia ſtriata, convexa medio thoracis antice haud latiora, punctis discoidalibus nullis. Sternum nigrum. Abdomen, etiam sub elytris, nigrum; rarius ſubviolaceum. Pedes variant; interdum toti nigri: ſaepius femora rufa, tibiae, tarſique fuscescentes, interdum tibiae rufae. *Mon. Car.*

Statura, et habitus fere *C. Holosericei*, ſed apud nos paulo minor, laevis, elytrisque uti in *C. Veſtito* certo ſitu ferrugineo-micantibus.

Habitat in pratis humentibus ſat frequens.

### * 184. C. Rufus.

Obſcure rufus, thorace obcordato, elytris ſubstriatis.

Magnitudo *C. Germani var. major.* Totus obſcure-rufus, unicolor. Thorax obcordatus, convexus, poſtice coarctatus, truncatus, vix marginatus, lineola longitudinali, angulisque poſticis impunctatis. Elytra convexa, ſubstriata, non nitida, latitudine fere thoracis absque punctis marginalibus. A *C. Ferrugineo* diverſissimus.

Habitat in ſilvis, raro lectus.

### 185. C. Humeralis.

Niger, thorace obcordato, elytris striato-punctatis, truncatis, antice rufis, pedibus rufo-flavis. *Mon. Car. n.* 23.

Magnitudo *C. Excavati*. Caput nigrum latitudine thoracis ſubtiliſſime punctatum. Antennae, palpique rufi. Oculi prominuli, nigri. Thorax niger, cordatus, acute marginatus, antice, poſticeque truncatus, maxime convexus, ſubtilissime punctatus, ſine ullis punctis majoribus in angulo poſteriore excavatis. Elytra nigra antice ad quartam circiter partem totius longitudinis obſcure rufa, thorace latiora ſubtiliſsime punctato-striata, apice truncata, abdominis vix longitudine uti in *C. Truncatello*. Sternum, et abdomen obſcure rufa. Pedes rufo-flavi.

*Var.* β. niger, thorace obcordato rufo, elytris macula baſeos rufo-flava in margine exteriore, ore, antennis, pedibusque rufo-flavis. *Mon. Car.*

Noſtrum ſpecimen differt tantum magnitudine paullo majori, at in reliquis convenit.

Lectus in ligno putreſcente.

* 186. C. Smaragdulus.

Viridis, nitidus, thorace subquadrato, elytris striatis.

Magnitudo *C. Aterrimi*. Caput viride-nitidum, laeve, punctis duobus impreſſis. Palpi, antennaeque fuſcae primo articulo rufo. Thorax latitudine elytrorum, viridis nitidus, laevis, ſubquadratus, poſtice ſubdepressus, lineola longitudinali vix apparente, ſtriaque, ſeu potius puncto utrinque excavato. Elytra viridia, nitida, laevia, ſubtilissime ſtriata, impunctata, convexa. Subtus totus ater nitidus, plantis exceptis ferrugineo piloſis. Alatus. Variat magnitudine, pedibusque interdum rufis. Differt a *C. Lepido* ſemper aptero, alis, thorace una tantum ſtria poſtica impressa, et colore elytrorum laete viridi: qui in *C. Lepido* ad cupreum vergit.

Habitat ſub lapidibus, et in ligno putrido frequens.

187. C. Sex-punctatus.

*Long.* 4. l. *Lat.* 1. $\frac{2}{3}$ l.

Capite, thoraceque viridibus, elytris cupreis. *F. ſp.* 309. 60. *Linn. Syst. Nat.* 672. 35. *Fn. Sv.* 807.
*De Geer. Ins.* 4. 99. 16.
*Geoff.* 1. 149. 14.
*Schrank. E. I.* 402.
*Vill. Ent.* 1. 372. 6.
*De Paykull Mon. Car. n.* 42.

Magnitudo *C. Marginati*. Caput viridi-aeneum, ſubtus obſcurius. Oculi, maxillae, antennae, palpique nigri. Thorax ſupra viridi-aureus, marginatus, ſubtus nigro-caeruleſcens, longitudine paullo latior, poſtice ſubanguſtatus, puncto utrinque in angulo. Elytra rubra aenea, nitidiſſima, ſubſtriata; inter ſtriam ſecundam, et tertiam puncta utrinque ſex longitudinalia excavata, margine vireſcente punctulato. Alae albohyalinae puncto magno marginali fuſco. Femora fuſco-aenea. Tibiae, tarſique nigri. *Var.* β. Viridi-aeneus, elytris concoloribus, ſtatura, et magnitudine omnino ſimilis. *Mon. Car.* Haec apud nos frequentior.

Habitat in locis apricis. Inventus etiam ſub arborum cortice tempore hiberno.

* 188. C. Tenebrioides.

*Long.* 7. l. *Lat.* 3. l.

Ater, thorace lato, elytrorum ſtriis punctatis. *Geoff. Ins.* 1. 159. 34. *Le Bupreste pareſseux*.
*C. Tenebrioides*. *Linn. Ed. XIII.* 1986. 213.
*C. Piger*. *Ent. Par.* 42. *Vill. Ent.* 1. 377. 63.

Statura lata undique fere aequalis, et magis convexa quam in pleriſque ſuae gentis. Caput nigrum, nitidum, minus exſertum. Palpi, antennaeque breves, ſubrufae. Thorax niger, nitidus, latitudine elytrorum, valde convexus, ſubquadratus, marginatus, antice laevis, poſtice punctulatus, foveola utrinque leviter impreſſa. Elytra nigra, admodum

et aequaliter convexa, ſtriata, ſtriis novem minutiſsime punctatis, extremo apice emarginato. Sternum, et abdomen nigra nitida. Pedes nigri, breves, praeſertim antici tibiis apice latiuſculo, ſpinisque craſsis inſtructo. Alatus. Variat magnitudine, abdomine, tibiis, tarſisque ſubrufis.
Habitat in arenosis, et ſub lapidibus frequens.

189. C. Dentatus.

Cyaneus, thorace cylindrico ſubaequali, ore, antennis, pedibusque rufis. *Fn. Etr.* 1. 222. 551. *t.* 2. *f.* 11.
*Carabum* hunc ad *Cicindelae* genus referendum eſse credant alii; mihi est, ſemperque erit *Carabus*; nam facies, habitatio, vivendi modus, inceſsus, aliaque inter *Carabos* naturaliter ſtatuere videntur.
Habitat ſub Ulmi cortice in truncis emortuis.

* 190. C. Distinctus.

Teſtaceus ſubpilosus, abdomine, elytrorumque faſcia longitudinali ſuturae communi atro-caeruleis.
Statura, et magnitudo *C. Dentati*. Caput teſtaceum. Oculi nigri. Palpi; antennaeque teſtaceae articulo primo praelongo apice nigro uti in *C. Dentato*. Mandibulae pariter uti in illo exſertae, elongatae, teſtaceae. Thorax anguſtus elongatus, fere cylindricus, emarginatus, teſtaceus. Elytra punctato-ſtriata, integra, teſtacea, faſcia longitudinali ſuturae communi atro-caerulea. Pectus, pedesque teſtacea. Abdomen atro-caeruleum. Alae albae. Etsi habitu, et magnitudine fere ſimilis *C. Crepitanti*, *Caraboque Dentato*; attamen ab iis omnino diſtinctus. Differt enim a *C. Crepitante* forma capitis, antennarumque articulo primo longiſsimo, thorace emarginato, elytris teſtaceis, faſcia &c. A *C. Dentato* differt colore prorſus diverſo, thorace non canaliculato, elytris integris.
Habitat cum aliis exeſas arbores. Raro lectus hieme.

### 191. C. Germanus.

*Long.* 3. ½ l. *Lat.* 1. ½ l.

Cyaneus, capite, elytris, pedibusque teſtaceis, elytris apice violaceis. *F. ſp.* 312. 71. *Mant.* 204. 102. *Linn. Syſt. Nat.* 672. 26.

*C. Germanus. Scop. Ent. Carn.* 273.

*Schrank. E. I.* 403.

*Poda M. G. p.* 273.

*Fn. Etr.* 1. 212. 522.

*Schaef. Ic. t.* 31. *f.* 13. citata a *Fab.* aliisque pertinet ad *C. Viridanum*.

Deſcriptio *Scopolina* optima, at in noſtris, pedes non thoraci, ſed ſemper elytris concolores, ſcilicet teſtacei. Diximus in *Fn. Etr. l. c.* variare interdum capite nigro; nunc autem, re melius conſiderata, non omittendum dubium, fere ad certitudinem redactum, hunc *Carabum* huc usque a nobis pro varietate *C. Germani* habitum, ſpeciem fortasse ab eo eſſe diſtinctam: Hic enim quamvis habitu, et ſtatura *C. Germano* ſimillimus, attamen revera conſtanter differt magnitudine, capite atro, thoracis lateribus poſticis non extrorſum, neque acute angulatis uti in *Germano*, ſed obtuſis; macula elytrorum violacea non acuminata, maximamque eorum partem occupante. Praeterea *C. Germanus* frequens hieme ſub arborum cortice, lignoque putrido; hic eo tempore raro, aut numquam inventus, etsi alio occurrat ſaepiſsime: Addendumque quod in hac ſpecie, aut varietate vidi, et aſſervo ſimile cum ſimili copula junctum.

Habitat in ſilvis frequens.

### * 192. C. Exhalans.

Capite, thorace, pedibusque rufis, elytris truncatis, nigro caeruleis, maculis duabus flavis.

Statura, et magnitudo omnino *C. Crepitantis*, cujus videtur eſſe varietas elegantiſsima, ac ſingularis: Differt enim tantum elytris maculatis, maculis in ſingulo elytro binis, altera

pope baſin, altera pone medium ſubrotundis flavis. In *C. Crepitante* qui apud nos frequens copioſus occurrit, abdomen obſervatur in vivo modo obſcure-nigrum, modo rufum. In individuis magnitudine minoribus, rufum; in majoribus (fortaſſe feminis) opacum nigrum. In hac noſtra varietate tamen, quamvis minores aequiparet, abdomen opacum nigrum.

Habitat ſub terra cum *C. Crepitante* Mart. m. rarus.

### * 193. C. Psammodes.

Niger, ſubdepreſſus, capite, thorace, limbo elytrorum, antennis, pedibusque livide-rufis.

Statura *C. Arenarii*, at minor. Caput rufum. Oculi nigri. Palpi, antennaeque rufae longiores. Thorax ſuperne, et inferne rufus, obcordatus, convexus, ſubmarginatus, lineola obsoleta longitudinali, punctisque poſticis ordinariis impreſsis. Elytra nigra, ſubdepreſsa, ſtriata, ſtriis oculo armato punctatis, limbo exteriore, poſticoque rufo. Abdomen nigrum. Pedes rufi. Alatus. Limbus rufus poſtice latior. Differt a *C. Sabuloso*. *F. Mant.* 47. a *Car. Livido*. *Linn. Fn. Sv.* 791. *et a C. Sabuloso*. *Mon. Car. n.* 28. cum in noſtris caput, thoraxque ſint omnino rufa, et elytra nullo modo dici possint ſubtiliſsime ſtriato-punctata, punctis quibuſdam diſcoidalibus, uti in *Mon. Car. l. c.* aſseritur.

Habitat Florentiae rarus.

### 194. C. Aterrimus.

*Long.* 6. l. *Lat.* 1. $\frac{3}{4}$ l.

Niger, nitidiſsimus, thorace convexo, elytris leviſsime punctato-ſtriatis: punctis utrinque tribus diſcoidalibus majoribus. *Mon. Car. n.* 78.

*C. Aterrimus*. *Herbst ap. Fuesl. Arch. Ins.* 6. 140. 50. *t.* 29. *f.* 13.

*C. Oblongo-punctatus*. *Fn. Etr.* 1. 214. 528.

Caput nigrum *nucha* nitidiſsima. Thorax dorſo nitidiſsimus,

convexus, marginatus, antice acute, poſtice obtuſe angulatus, lineola longitudinali; poſtice loco punctorum ordinariorum profunde excavatus. Elytra nigra nitidiſsima, thorace vix latiora, convexiora, leviſsime ſtriato-punctata: striis opacioribus, unde nudis oculis perſpiciuntur; in ſingulo elytro puncta tria profundiora nudis oculis optime perſpicua, quorum duo in ſtria ſecunda a margine interiore, alterum in medio, alterum poſtice, et tertium baſi propius in ſtria tertia: margo exterior etiam punctis minoribus, inermi tamen oculo conſpicuis adornatur. Sternum, abdomen, pedes nigra nitida. *Obs.* Totus ſupra nitidiſsimus, quaſi oleo unctus. Caeterum etiam a *C. Striato* differt thorace ſubquadrato; et a *C. Nigrita* elytris convexioribus, leviſsime punctato-striatis, punctisque diſcoidalibus majoribus, nudis oculis optime perſpicuis. *Mon. Car. l. c.*

Habitat in ſilvis primo vere non rarus.

### 195. C. Proteus.

Laevis, cylindricus, thorace punctis ordinariis laevioribus, elytris ſtriatis, diſco impunctatis. *Mon. Car. n.* 72.
*C. Aeneus. F. Mant.* 202. 81.

Paulo minor *C. Cupreo*. Caput craſsum ferrugineum baſi ad collum aeneum. Antennae, palpique teſtacei. Maxillae validae ferrugineae apice obſcuriores. Oculi cinereſcentes. Thorax undique elytrorum latitudine, ſubtus teſtaceus, ſupra aeneus linea longitudinali, punctoque poſtico utrinque unico leviter excavato. Elytra ſtriata, capite, thoraceque vix longiora, viridi-aenea punctis diſcoidalibus nullis. Alae albohyalinae nervis fuſceſcentibus. Sternum, abdomen, pedes teſtacea. *Mon. Car.*

Habitat in Svecia Auſtrali. Mihi numquam lectus.

Hic *Carabus* admodum variat, uti videre est in *Mon. Car. l. c.* Varietates in ea indicatae, quae apud nos occurrunt, et quas ego inveni, ſunt ſequentes.

*Var.* δ. Subtus niger, ſupra cyaneus, antennis, pedibusque rufis. *M. C.*

*C. Azureus. F. Mant.* 201. 71.
*C. Azureus. Fn. Etr.* 1. 222. 550.

Pedes, et antennae interdum fuſceſcentes. De hoc tamen licet ne mihi dubitare an revera ſit *C. Protei* varietas? Forma thoracis paullulum diverſa, punctaque poſtica magis excavata.

Habitat in locis arenoſis non frequens.

*Var.* ε. Niger, pedibus, antennisque rufis. *M. C.*
*Car. Latus. De Geer. Inſ.* 4. 100.
*Geoff. Inſ.* 1. 160. 37.
*Schrank. E. I.* 211. 397. *C. Latus, ſed major.*

Communis.

*Var.* η. Niger, thorace ſupra, elytrisque viridi-aeneis, pedibus, antennisque rufis. *M. C.*
*C. Affinis. Schrank. E. I.* 212. 399.

Variat pedibus antennisque piceis. *Long.* 5. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{2}{3}$ l.
Habitat ſub lapidibus, et in truncis arborum ſat frequens.

### 196. C. Assimilis.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. l. vix.

Niger, thorace capite longiore, poſtice impunctato, elytris ſtriatis, margine punctato. *Mon. Car. n.* 32.

Habitus, et ſtatura *C. Nivalis M. C.* Caput, palpi antennaeque nigra. Thorax capite longior, antice, non vero poſtice latior, convexus, acute marginatus, *lineola longitudinali in noſtris impreſſa*, angulisque poſticis impunctatis. Elytra nigra, ſubconvexa, ſtriata, margine exteriori punctulato, punctis utrinque tribus minutiſsimis in ſtria tertia a ſutura. Abdomen, pedesque nigra. Alae albae. *Mon. Car.*

Habitat cum praecedentibus frequens.

### 197. C. Obscurus.

Niger, ſupra obſcure nigro-ſubaeneus, elytris ſtriatis, diſco utrinque tripunctato. *Var. Mon. Car. n.* 45. fuſe, optimeque deſcriptus. *Conf.*

Statura, et magnitudo *C. Mendacis Fn. Etr.* et ſere *C. Picipedis*. Thorax laeviſsimus longitudine paulo latior, convexus, vix marginatus, lineola longitudinali, punctisque poſticis excavatis. Inter ſtriam ſecundam, et tertiam elytrorum, puncta tria minutiſsime excavata, margine etiam externo punctato. Pedes nigri. Variat colore interdum magis nigro, interdum magis cyaneo.

Habitat cum *C. Crepitante*, *Viridano*, aliisque juxta ſepes tempore hiemali ſub terra degens.

### * 198. C. Infidus.

*Long.* 5. $\frac{1}{4}$ l. *Lat.* 2. $\frac{1}{4}$ l.

Niger, nitidus, thorace ſemirotundato, elytris ſubdepreſsis, punctato-striatis, antennis, tibiisque ferrugineis.

*An C. Depreſsus. Mon. Car?*

*C. Pilicornis. Fn. Etr.* qui omnino delendus.

Facies *C. Spinibarbis*, ſed duplo major. Palpi, antennaeque ferrugineae, baſi nitidiores, pilis longioribus hirtae. Thorax fuſco-niger nitidus, orbiculatus, antice, poſticeque anguſtatus, marginatus, punctulatus, ſulco longitudinali convexitatem quaſi in duos lobos dividente. Elytra fuſco-nigra nitida, ſubdepreſsa, 9-striata ſtriis conſertiſsime punctatis, punctis quatuor utrinque in ſtria ſecunda paulo majoribus longitudinaliter excavatis, interdum vix perſpicuis. Pedes ſubrufi. Femora plerumque nigra. Alae albae. Junior variat colore fuſco-rufo. Variat etiam magnitudine minori.

Habitat ſub corticibus, et in truncis carioſis primo vere frequens.

### 199. C. Agilis.

Thorace rotundato, rufus, elytris, abdomineque nigris. *F. Mant.* 204. 99.

*C. Agilis*, rufus, abdomine poſtice fuſco, elytris depreſsis fuſcis, truncatis, ſtriatis. *Mon. Car. n.* 64.

Magnitudo *C. Viridanum* aequiparat. Caput rufum. Oculi nigri. Thorax rufus, marginatus, lineola leviſsima longitudinali, pilis quibusdam majoribus, longioribus marginalibus. Elytra fuſca depreſsa, ſtriata, truncata, abdomine breviora; angulo poſteriore obtuſo, anteriore acuto. Alae albae macula marginali fuſca. Sternum rufum. Abdomen rufum apice fuſco. Pedes rufo-flavi. Admodum variat. Confer *Mon. Car. l. c.*

*Var.* γ. Fuſcus, ſubtus abdomine excepto, maxillis, antennis, pedibusque rufo-flavis, elytris puncto medio pallido; apud nos frequens.

Habitat in foliis arborum convolutis,

### 200. C. Ovatus.

Ovatus, thorace antice capitis, poſtice elytrorum latitudine, utrisque adnato, elytris ſtriatis, punctis diſcoidalibus nullis. *Mon. Car. n.* 81.

*C. Vulgaris. Var.* β. *Linn. Fn. Sv.* 799.

*C. Vulgaris. Fn. Etr.* 1. 209. 515.

Caput nigrum. Oculi pupillati. Antennae ſaepius baſi ruſeſcentes. Thorax baſi latitudine capitis poſtice latitudine elytrorum convexus, vix marginatus, lineola longitudinali, punctisque ordinariis rarius duplicibus, laevioribus. Elytra nigra, antice truncata, thorace arcte juncta, ſtriata, dimidio corpore longiora; margine exteriore ſubpunctato, punctis diſcoidalibus nullis. Alae albae venis nigris macula marginali fuſca. Subtus totus niger.

*Var.* β. Supra obscure-aeneus, ſubtus cum antennis, pedibusque piceus. *C. Vulgaris var.* α. *Linn. Syst. Nat.* 675. 27. *Ed. XI. Fn. Sv.* 799.

*Var.* γ. Supra viridi-aeneus, ſubtus niger.

*Var.* δ. Supra nigro-caeruleſcens, ſubtus niger nitidus. *C. Aeneus. De Geer Ins.* 4. 98. 15.

*Obs.* Omnes hae varietates habitu, et ſtatura ſimillimae, ſed magnitudo ſpeciei variat. Jam longitudo *C. Protei*, jam duplo fere brevior; ſemper vero ratione magnitudinis multo latior eſt. *Mon. Car. l. c.*

*C. Metallicus. Scop. E. Carn.* 270. videtur referendus ad varietatem δ.
Habitat ſub lapidibus frequens.

* 201. C. Votivus.

Niger, nitidus, thorace vix marginato, elytris ſtriatis, punctis diſcoidalibus nullis, antennis ferrugineo-flavis.
*C. Nigritae* affinis, ſed minor. Caput nigrum nitidum. Antennae flaveſcentes. Thorax niger, nitidus, vix marginatus, ſubquadratus, lineola longitudinali, punctisque poſticis ordinariis impreſſis. Elytra nigra nitida, ſtriata, punctis diſcoidalibus nullis. Sternum, et abdomen nigra. Femora nigra. Tibiae, tarſique ferruginei. A *C. Nigrita* diſtinguitur thorace vix marginato, punctisque diſcoidalibus nullis.
Habitat in truncis arborum carioſis.

* 202. C. Velocipes.

*Long.* 2. l. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Ater ſubaeneus, elytris punctato-ſtriatis, antennis nigris, pedibus pallide-rufis.
*C. Rufipedi M. C.* affinis, cujus forte varietas. Antennae nigrae primis duobus articulis rufis. Caput atrum ſubaeneum nitidiſſimum. Thorax ater ſubaeneus, nitidus, cordatus, lineola longitudinali, punctoque poſtico utrinque excavato, latitudine dimidia elytrorum. Elytra atra ſubaenea, nitida, punctato-ſtriata. Femora atra ſubaenea. Tibiae, tarſique pallide-ruſi. Alae nigrae.
Habitat ſub corticibus.

203. C. Rufipes.

Supra obſcure-subaeneus, ſubtus niger pedibus rufis, thorace glaberrimo, elytris integris, ſubtiliſſime punctato-ſtriatis. *Mon. Car. n.* 63.

Magnitudo *C. Bipunctati*. Antennae nigrae. Caput totum nigrum occipite obſcuro ſubaeneo. Thorax glaber vix marginatus lineola dorſali leviſſime impreſſa, punctisque ordinariis impreſſis. Elytra obſcure-subaenea ſubtiliſsime puncta-to-ſtriata. Femora rufa tibiis, tarſisque pallidioribus.
Habitat cum praecedentibus.

### 204. C. Dorsalis.

Thorace rotundato nigro, coleoptris pallidis, macula magna dorſali nigra. *F. Mant.* 205. 116.
Parvus; Caput atrum, nitidum. Thorax ater nitidus, orbiculatus, margine tenuiſſime palleſcente. Elytra ſubtiliſſime ſtriata, nitida, pallida, macula dorſali nigra fere communi. Corpus nigrum. Pedes ferruginei. Antennae, in noſtris, fuſcae, baſi ferruginea. Confer *C. Meridianum var. γ. Mon. Car. D. de Paykull*.
Habitat ſub foliis putridis frequens.

### * 205. C. Erratus.

Niger, thorace orbiculato rufo, coleoptrisque flavis, faſcia media nigra ad utrumque marginem dilatata.
Statura *C. Turcici*, at major. Caput nigrum nitens. Antennae fuſceſcentes articulo primo, et ſecundo ferrugineis. Thorax rufus, orbiculatus, marginatus, angulis poſticis paullulum productis, lineolaque dorſali vix impreſſa. Elytra minus convexa, tenuiſſime ſubſtriata, apiceque oblique truncata, flava; faſcia media tranſversa nigra, quae ad ſuturam, et marginem exteriorem, apicemque adeo extenditur ut ſpatium margine nigro cinctum, ſeu maculam ſubrotundam flavam utrinque conſtituat. Abdomen nigrum. Pedes ſaepius rufi, interdum nigri. Differt a *C. Turcico* magnitudine majori, colore, macula poſtica apicis flava. A *C. C. Minori*, differt etiam ſtatura, capite anguſtiore, thorace magis orbiculato, faſcia minus lata, elytris truncatis. &c.

Heic autem fatendum hunc *Carabum* male a me aſſumptum fuiſſe in *Fn. Etruſca* pro *C. Andreae*, cui thorax juxta Cl. *Fabricii* diagnoſin niger est, non rufus; proindeque mirum videri me nec poſſidere, nec umquam vidiſſe hanc ſpeciem, quae pro Italica habetur.
Habitat cum aliis rarior.

## LXXIII. *SCARITES*.

*Palpi* sex filiformes. *Labium* corneum dentatum. *Antennae* moniliformes.

### * 206. S. Dama.

Niger, thorace obcordato, capitis clypeo baſi bituberculoſo, apice utrinque cornuto, cornibus erectis, excavatis, compreſſis, biramoſis.
Diximus *in Fn. Etruſca*. 1. 228. 571. *Sc. Calydonium* variare magnitudine minori, maxillis cornutis; at re melius perpenſa, varietas ibi indicata modo ſpecies diſtincta videtur; nam etſi ſtatura eadem, magnitudo tamen quadruplo minor, et caput, uti in diagnoſi, omnino diverſum. Reliqua omnia in utraque ſpecie ſimilia.
Habitat in arenoſis.

## LXXV. *TENEBRIO*.

*Palpi* quatuor inaequales; *antici* ſubclavati, *poſtici* filiformes. *Maxilla* bifida. *Labium* truncatum, integrum. *Antennae* moniliformes.

### * 207. T. Cornifrons.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{5}$ l.

Oblongus, ruber, nitidus, elytris nigris: capite bicorni.
Statura, et magnitudo omnino *S. Ruſſicae Fn. Etr.* 1. 136. cui primo intuitu adeo ſimilis, ut facillime cum ea confundatur.

Conf. *fig. pag.* 3. *Tom. I.* Conf. *etiam A. Rubrum. De Geer Inſ.* 5. 283. 1. *t.* 8. *f.* 12. Caput rufum fronte admodum excavata, et corniculis duobus elevatis rufis inſtructa. Palpi quatuor inaequales, antici ſubclavati, poſtici filiformes, rufi. Antennae breves, rufae, moniliformes. Oculi nigri. Thorax rufus, nitidus, laevis, convexus, ſubmarginatus. Elytra nigra, nitida, extremo apice rufa, convexa, ſubtiliſſime punctato-ſtriata, ſtriis in ſingulo elytro novem. Sternum, abdomen, pedes rufa. Alae albae. Frons in altero ſexu inermis. Differt a *S. Russica*, capite cornuto, antennis brevioribus, apiceque minus clavato, ſtriis elytrorum diſtinctioribus, abdomine toto rufo. &c.

Habitat in quiſquiliis, et truncis arborum carioſis, rariſſimus.

### 208. T. Mauritanicus.

Alatus niger, ſubtus piceus, thoracis marginibus antice, poſticeque dente angulatis. *Linn. Syst. Nat.* 674. 4.

*Trogossita Mauritanica* nigricans, ſubtus picea, elytris ſtriatis. *Oliv. Ent.* 19. 2. 1. *t.* 1. *f.* 2. *A. B.*
*Geoff. In.* 1. 64. 5.
*Dorth. Mem. d' Agric. a.* 1787. *p.* 64. *f.* 1. 2.
*Fn. Etr.* 1. 232. 579. *t.* 7. *f.* 15.

Habitat ſub arborum cortice frequens.

## LXXXIV. *MYLABRIS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* cornea, compreſſa, bifida. *Labium* membranaceum, ſubemarginatum. *Antennae* moniliformes.

### 209. M. Testacea.

Teſtacea, pectore, elytrorumque apicibus nigris. *F. Mant.* 217. 8.

Praeter ea quae diximus de *L. Afra*, et *M. Testacea in Fn. Etr.* 1. 240. 594. *et in Append.* addendum varietatem *elytris*

*totis nigris* variare interdum etiam capite, pedibusque nigris.

Habitat in floribus Dipſaci Fullonum frequentiſſima.

* 210. M. FULVA.

*Long.* 5. ½ l. *Lat.* 1. ¾ l.

Nigra, thorace rufo-flaveſcente, elytris ſaturate-teſtaceis.

Statura *M. Testaceae*, at dimidio major, ac diſtinctiſſima. Caput atrum nitidum, glabrum, tenuiſſime punctulatum, inflexum. Palpi quatuor inaequales, filiformes nigri. Antennae nigrae filiformes 11-articulatae. Thorax rufo-flaveſcens nitidus, glaber, omnino conformatus uti in *M. Testacea*. Scutellum nigrum. Elytra ſaturate-teſtacea, laevia, flexilia, vix pubeſcentia, integra, ſed abdomine paulo breviora. Sternum, abdomen, pedes atra. Alae obſcurae. Abdomen craſſum ventricosum; forte femina?

Non leviter admiranti mihi prodiit e pupa obtecta putamine proprio oviformi ferrugineo, ſtigmatibus utrinque longitudinaliter impreſſo, quam inveni abrupto nido *Ap. Variantis* ( *conf.* ) in ejus medio ſitam prope cellulas, ubi neſcio quomodo introducta larva, veluti in apto ſibi domicilio una cum *Apibus l. c.* deſcriptis, metamorphoſin ſubierat.

## LXXXVI. *MORDELLA.*

*Palpi* quatuor inaequales: *antici* clavati, *postici* filiformes.
*Maxilla* bifida. *Labium* membranaceum bifidum.
*Antennae* moniliformes.

211. M. ABDOMINALIS.

Ano aculeato, nigra, thorace, abdomineque fulvis. *F. ſp.* 333. 10.

Statura *M. Aculeatae*. Caput, pectus, elytra, ſpina analis, pedes atra. Thorax, et abdomen fulva, immaculata, nitida.

Lecta in floribus.

212. M. Frontalis.

Atra, fronte, pedibusque flaveſcentibus. *F. ſp.* 333. 12. *Linn. Syst. Nat.* 682. 4. *Fn. Sv.* 834.

Parva, frons flava, et pedes praeſertim antici flavi.

Habitat in floribus.

* 213. M. Nigra.

Nigra, unicolor, antennis baſi flaveſcentibus,

Statura, et magnitudo *M. Flavae*. Caput, et thorax minora, minusque gibba quam in *M. Aculeata*. Thorax ſuborbiculatus. Antennae prorſus moniliformes, nigrae primis articulis flaveſcentibus. Anus absque aculeo.

Habitat in floribus.

## LXXXVII. *STAPHYLINUS.*

*Palpi* quatuor filiformes. *Maxilla* unidentata. *Labium* membranaceum, trifidum. *Antennae* moniliformes.

214. S. Hirtus.

Hirſutus, niger, thorace, abdomineque poſtice flavis. *F. ſp.* 334. 1. *Linn. Syst. Nat.* 683. 1. *Fn. Sv.* 839.

*Staphylinus* niger, villoſus, capite, thorace, anoque pilis flavis aureis. *Geoff. Ins.* 1. 363. 7.

*Staphylinus Bombylius*. *De Geer Ins.* 4. 20. 5.

*Staphylinus Hirtus*. *Mon. Staph. n.* 1. *descriptio optima*.

*Sulz. Hist. Ins. t.* 7. *f.* 16.

*Schaef. Icon. t.* 36. *f.* 6. *Monog.* 1754. *t.* 2. *f.* 12.

Inter maximos numerandus, facillimeque dignoſcendus. Lanugo aureo-flava interdum aetate deteritur.

Habitat in fimo, et ſtercore bovino ſat frequens in locis ſilvaticis arenoſis.

## 215. S. Cyaneus.

*Long.* 7. l. *Lat.* 1. ½ l.

Niger, capite, thorace, elytrisque cyaneis. *Mon. Staph. n.* 7. *S. Atro-caerulescens*. *Geof.* 1. 361. 2.

Magnitudo, et ſtatura *St. Erythropteri*. Caput thorace latius, ſupra cyaneum, ſubtus nigrum nitidum. Oculi diſco nigri, margine pallidi. Maxillae palpique nigri. Antennae filiformes, capite duplo longiores, nigrae. Thorax longitudine capitis, convexus, antice obtuſus, poſtice rotundatus cyaneus. Elytra cyanea longitudine thoracis. Scutellum nigrum. Sternum nigrum. Abdomen nigrum elytris plus duplo longius. Pedes nigri.

Habitat apud nos rarior.

## * 216. S. Bicinctus.

*Long.* 7. ⅓ l *Lat.* 1. ½ l.

Niger, capite, thorace, elytrisque profunde cyaneis, abdomine atro, ultimis duobus ſegmentis baſi late aureo holoſericeis.

Praecedenti proximus, ejuſdemque magnitudinis ac ſtaturae, at magis affinis *St. Morsitanti Fn. Etr.* 1. 614.

Caput baſi latitudine fere thoracis, ad latera poſtica ſubangulatum, punctulatum fuſco-cyaneum. Palpi rufi. Antennae filiformes, nigrae baſi rufa, apice acuto cinereo-rufo, capite vix duplo longiores. Thorax fuſco-cyaneus, punctulatus, capite longior, et paulo latior, antice truncatus, angulatus, poſtice rotundatus. Elytra fuſco-cyanea, punctulata, thorace paulo longiora. Scutellum nigrum. Abdomen elytris plus duplo longius, atrum, ultimis duobus ſegmentis baſi, lanugine aurea nitente late faſciatis. Subtus totus niger pedibus exceptis omnino rufis. Faſciae vix marginem exteriorem attingunt, et in mortuo, ſegmentis contractis, maximam partem occultantur.

Lectus in Fraxini Orni ligno putreſcente.

## 217. S. Pubescens.

Pubeſcens, capite flavo, thorace, elytriſque fuſco, nigroque nebuloſis; punctis impreſsis. *Geoff. Inſ.* 1. 363. 8.
*S. Pubescens* niger nebuloſus, capite, femoribuſque annulo flavo-ferrugineo, abdomine obſcuro. *Mon. Staph. n.* 9.
*S. Pubescens*. *De Geer Inſ.* 4. 17. 2.
*S. Ochrocephalus*. *Ed. XIII. Linn.* 2034. 85.
*S. Chrysocephalus*. *Ent. Par.* 1. 166. 8.
Statura, et magnitudo fere *S. Murini*. Caput flavum, pubescens, depreſsum, latitudine thoracis, collo pariter flavo. Palpi, maxillaeque nigrae. Antennae capite paullo longiores, extrorſum craſsiores, baſi flavae, ſex ultimis articulis nigris. Thorax capite longior, antice truncatus, poſtice rotundatus, fuſco, nigroque nebuloſus, lanugine ſubferruginea. Elytra thorace longiora, fuſco nigroque nebuloſa. Abdomen elytris vix duplo longius, dorſo nigro ſubferrugineo, apice obtuſo, ad latera lanuginoſum. Subtus cinereo-pubeſcens, nigro punctulatum, pube certo ſitu holoſericea, et ad ſegmentorum margines laciniata. Pedes fuſco-nigri, femoribus ferrugineo-annulatis.
Habitat in fimo rarus.

## 218. S. Tomentosus.

Fuſcus, pubeſcens, pedibus, thoracis lateribus, elytrorumque baſi pallidis, penultimo ſegmento abdominis, reliquis haud longiore. *Mon. Car. App. pag.* 138.
Caput thorace anguſtius, nigrum, minutum. Palpi pallidi. Antennae capite, thoraceque longiores. Thorax magnus, convexus, fuſcus lateribus pallidis, undique hirſutia brevisſima tectus. Elytra capitis, thoracisque longitudine, fuſca,

tenuiſsime villosa; baſi macula pallida ſuturam haud attingente. Sternum fuſcum. Abdomen fuſcum, in vivo conicum, acuminatum longiſsimum. Pedes pallidi. Magnitudo, et ſtatura *S. Disparis*, a quo differt corpore omnino pubeſcente, et penultimo ſegmento abdominis breviore.

*Var.* β. Fuſcus, pubeſcens, pedibus pallidis: habitat cum varietate praeced. cui ſimillimus, ut ſeparari nequeat. *Mon. Car. l. c.*

Habitat uterque apud nos in putridis.

### 219. S. CANALICULATUS.

Flavus, capite, abdominisque cingulo atris, thorace canaliculato. *F. Mant.* 221. 29.

*S. Canaliculatus* rufo-flavus, capite, abdominisque apice nigris, thorace poſtice canaliculato. *Mon. Staph. it.* 23.

*P. Impressus. Fn. Etr.* 1. 254. 627. Corrige *S. Canaliculatus.*

Parvus; Caput nigrum thoracis latitudine. Antennae extrorſum craſsiores, capite, thoraceque longiores, baſi rufo-flaveſcentes, apice fuſcae. Palpi aequales, filiformes, rufo-flaveſcentes. Thorax flavo-rufescens, rotundatus, poſtice medio canaliculatus, elytrorum longitudine. Sternum rufo-flaveſcens. Elytra breviora, flavo-rufescentia. Abdomen marginatum, reliquo corpore longius, baſi rufo-flavum, apice nigrum. Pedes rufo-flavi. Color rufo-flavus interdum magis obſcurus. *Mon. Staph. l. c.*

Habitat in ligno putrido, frequens.

### 220. S. CLAVICORNIS.

Niger immaculatus, thorace rotundato laevi, antennis extrorſum craſsioribus. *F. Mant.* 221. 21.

*Staph. Juno* ater oculis prominentibus craſsis. *Geoff. Ins.* 1. 371. 24.

*Staph. Buphthalmos.* Niger immaculatus, oculis magnis exſertis. *Schrank. E. I.* 445.

*Staph. Juno*. Niger oculis magnis prominentibus antennis clavatis. *Mon. Staph. n.* 25.
*Fn. Etr.* 1. 252 623.

Caput nigrum breve, thorace latius, ſubtiliſsime punctatum. Oculi magni valde prominuli. Palpi aequales longiores. Antennae nigrae longitudine thoracis, baſi tenuiſsimae; interdum flavicantes, quatuor ultimis articulis craſsioribus. Thorax niger, cylindricus, ſubtiliſsime punctatus capite, et elytris praeſertim anguſtior. Sternum nigrum. Elytra breviora nigra poſtice retuſa, ſubtiliſsime punctata. Abdomen nigrum cylindricum longitudine dimidii corporis. Pedes nigri, interdum flavi, geniculis modo nigris; rarius flavi immaculati. Variat elytris puncto flavo. *Mon. Staph. l. c.* Magnitudo praecedentis, at paulo latior.

Habitat ſub arborum cortice frequens.

### * 221. S. Pallidus.

Pallide-flavus, piloſus, capite, elytrorumque poſticis nigris.

Statura, et magnitudo *S. Tomentosi*. Caput nigrum nitidum, thorace anguſtius. Antennae nigrae, basi flavae, ad apicem craſsiores, longitudine capitis, atque thoracis. Thorax pallide-flavus, parum convexus, rotundatus, emarginatus angulis obtuſis, poſtice latior, ſed magnitudine cedit thoraci *S. Tomentosi*. Elytra pallide-flava, laevia, piloſa, capitis, thoracisque longitudine, apice macula magna nigra, quae tamen marginem interiorem haud attingit. Abdomen rufoflavum, piloſum, incurvum, apice obtuſo. Subtus una cum pedibus omnino pallide-flavus.

Habitat in putridis, et ſub arborum foliis disiectis.

### 222. S. Orbiculatus.

Niger, thorace convexo, orbiculato, antennis, palpis pedibusque fuſco rufeſcentibus. *Mon. Staph. n.* 26.

Caput nigrum, ſupra infraque convexum, orbiculatum thorace latius. Antennae filiformes vix capitis thoracisque

longitudine. Palpi fuſco rufeſcentes. Thorax niger, orbiculatus, convexus, capite elytrisque anguſtior, profunda inciſura ab illis diſiunctus, ut tenuiſsime illis adhaereat. Elytra nigra quadrata, thorace longiora, et latiora. Sternum nigrum. Abdomen nigrum vix thorace, elytrisque longius. Pedes fuſco-rufeſcentes. Magnitudo *St. Canaliculati*, ſed anguſtior. Ab omnibus *Staphylinis* nigris optime diſtinguitur thorace convexo, orbiculato a capite majori valde diſiuncto. *Mon. Staph.*

Habitat cum aliis rarior.

## 223. S? Sanguineus.

Niger, elytris ſanguineis, abdomine gibbo antennis longioribus. *Mon. Staph. n. 29.*

*St. Sanguineus. Linn. Syst. Nat. 689. 19. Fn. Sv. 853.*

Statura, ac habitu a *Staphylinorum* genere diverſus, magisque capitis forma, atque thoracis *Notoxis* proximus. Jure ad novum genus ſub nomine *Pselaphi* a Cl. *D. Herbst* relatus. *Hist. Ins. p. 106. t. 39. f. 9.* Minor *St. Sulcato*, quo magis gibbus, et globoſior. Caput thoracis latitudine, inflexum nigrum, interdum piceum, in medio tuberculoſum, vix rugoſum. Palpi flaveſcentes. Antennae fuſcae, longitudine dimidii corporis, moniliformes, articulis tribus ultimis craſsioribus, ultimoque clavato rufo. Thorax rotundatus, convexus, niger nitidus, puncto in medio baſeos interdum impreſso, abdomine multo anguſtior. Elytra teſtaceo-rufa, admodum convexa, valde abbreviata, et veluti dorſo arctiſsime adnexa, medium tantum abdomen obtegentia. Reliqua pars abdominis nuda, magis etiam gibba, globoſa, nigra. Pedes longiuſculi rufi femoribus apice craſsioribus, baſi tenui nigra. Occurrunt alii praecedenti ſimiles, qui variant magnitudine, et colore corporis interdum toto ſaturate teſtaceo.

Habitat in terra arenoſa, et in arborum carie non rarus.

## LXXXIX. *P A E D E R U S.*

*Palpi* quatuor inaequales: *antici* clavati; *postici* filiformes. *Labium* lineare integrum. *Antennae* moniliformes.

### 224. P. Elongatus.

Niger, elytris poſtice, pedibusque fulvis. *F. ſp.* 339. 3.
*Staphylinus Elongatus*. *Linn. Syst. Nat.* 685. 14.
*Staphylinus Elongatus*. *Mon. Staphyl. n.* 17.

Caput thoracis latitudine nigrum ſubpunctatum. Antennae filiformes, rufeſcentes, capitis thoracisque longitudine. Palpi anteriores clavati, poſteriores filiformes. Thorax niger, ſubpunctatus, antice, poſticeque rotundatus, inangulatus longitudine capitis. Elytra thoracis longitudine, antice nigra, poſtice obſcure-rufa. Sternum nigrum. Abdomen cylindricum nigrum, vix longitudine dimidii corporis. Pedes rufi. *Mon. Staph. l. c.*

Magnitudo media.

Habitat in ſtercore, et ligno putrido, obvius.

# CLASSIS SECUNDA.

## ULONATA.

### XCII. *MANTIS.*

*Palpi* subaequales, filiformes. *Labium* bifidum, laciniis fixis, pinnis aequalibus. *Antennae* setaceae.

#### 225. M. Rossia.

Baculiformis, aptera. *Fn. Etr.* 1. 259. 636. *t.* 8. *f.* 1.
Variat magnitudine minori, et colore toto ferrugineo-fuſco, antennis longioribus, articulis 16. ultimo longiore. Mas.
Iconem exhibet etiam *D. Cyrillus* in *Fn. Neapolitana* ſub nomine *M. Filiformis*. *F.*
Habitat in sepibus ad foſsas aquarum, et in Ericetis frequens.

#### * 226. M. Spallanzania.

Viridis, thorace laevi, elytris, alisque breviſsimis, alis externe rubris, interne violaceis.
Statura *M. Oratoriae*, cujus pupa primo intuitu videtur, at sextuplo minor. Tota viridis, immaculata. Caput magnum. Frons punctis duobus impreſsis. Antennae ſetaceae, mediocres. Oculi magni oblongi. Thorax laevis. Abdomen latum, reflexum. Elytra breviſsima rudimentis tantum alarum breviſsimis, ſupra dimidiato-ferrugineis; ſubtus exteriore parte rubris, interiore violaceis. Femora antica valde incraſsata. Incedit pectore erecto, abdomineque reflexo;

et ponit ova congeſta, agglutinata quemadmodum *M. Oratoria; v. Roes. Ins.* 4. *t.* 12. *f.* 1. 2. 5. e quibus anno poſteriore mens. Aug. Larvae mihi domi excluſae, capite maximo, fronte lata, concava, femoribus albo obſolete annulatis. Specimen miſsum etiam ad Cl. virum *D. Giorna Taurin.* Entomologum magni nominis cui Naturalis Hiſtoria amplificata plurimum debet.
Habitat prope aquas in ſilvis, rara.

## XCVI. *LOCUSTA.*

*Palpi* inaequales, filiformes. *Maxilla* apice tridentata.
*Labium* bifidum; laciniis ſeta ſubulata.
*Antennae* ſetaceae.

### 227. L. Tuberculata.

Thorace planiuſculo, vertice tuberculato laevi, elytris elongatis, anguſtis, antennis ſetaceis longitudine elytrorum. *De Geer Ins.* 3. 444. 5. *t.* 38. *f.* 1.
Flavo-viridis, capitis vertice tuberculato laevi, elytris elongatis; maxillis flavis.
*L. Tuberculata. Fn. Etr.* 1. 269. 651.
Statura fere *L. Viridiſsimae*, at dimidio minor. Caput flavo-viride, vertice leviter tuberculato. Antennae flavae, elytro paulo minores. Oculi cinerei faſcia, ſeu lineola longitudinali nigra. Maxillae flavae. Thorax planiuſculus, flavo-viridis. Elytra flavo-viridia, anguſta, abdomine duplo longiora, apice obtuſo. Alae ſubvirides, hyalinae, reticulatae, elytro aequales. Abdomen flavo-viride. Cauda enſifera recta, bivalvis, longitudine abdominis, flaveſcens, coſta media fuſca. Pedes flavo-virides, antici, et ſecundi paris breves; poſtici longiſsimi, et elytris ſubaequales. Tarſi omnes in vivo pallidiores, et fere cinerei.
Habitat in pratis, ſed frequens etiam in hortis.

# CLASSIS TERTIA.

## SYNISTATA.

### CIV. *PHRYGANEA.*

*Maxillae* totae connatae cum labio. *Antennae* ſetaceae.

### 228. P. Bimaculata.

Alis fuscis, macula laterali duplici flava. *F. ſp.* 390. 13. *Linn. Syst. Nat.* 909. 9. *Fn. Sv.* 1487.

Antennis longioribus, alis fuscis, maris cinereo faſciatis, feminae macula griſea. *De Geer Ins.* 2. 567. *t.* 15. *f.* 1. *Geoff. Ins.* 2. 248. 5.

Antennae corpore fere duplo longiores. Mas a femina diverſus.

Habitat in aquosis.

### 229. P. Grisea.

Alis anticis nebulosis, macula marginali griſea. *F. ſp.* 389. 11. *Linn. Syst. Nat.* 909. 6. *Fn. Sv.* 1484.

Antennis longitudine corporis, griſea, punctis, maculisque nigricantibus, alis ſuperioribus poſtice rotundatis, angulo exteriore linea nigra. *De Geer Ins.* 2. 543. *t.* 13. *f.* 21.

Praecedente major, seu mediae magnitudinis. Alae poſtice compreſsae, macula parva nigra ultra medium marginis exterioris. Color ad teſtaceum vergens. Larva intra cylindrum e culmis graminum, et juncorum compactum.

Habitat ad aquas frequens.

230. P. Longicornis.

*Long.* 3. $\frac{1}{2}$ l.

Alis fuſcis, ſtrigis duabus undatis obſcurioribus, antennis longiſsimis. *F. ſp.* 391. 21.
*P. Longicornis. Linn. Syst. Nat.* 910. 15. *Fn. Sv.* 1492.
*P.* alis ſuperioribus nebuloſis nigro punctatis, antennis triplo longioribus. *Geoff. Ins.* 2. 249. 7.
Parva: Alae anticae nigro-punctatae, poſticae albidae margine piloſo.
Habitat juxta aquas rarior.

* 231. P. Obscura.

Alis anticis, cinereo-punctatis, piloſis, poſticis albidis ſubpellucidis, margine poſteriore, et interno nigro ciliatis.
Species forte nota, at non ſatis bene diſtincta. Magnitudo *P. Bimaculatae*. Caput piloſum. Antennae ſubferrugineae, fuſco-annulatae, corpore paullo longiores. Oculi aterrimi. Alae anticae fuſcae cinereo inaequaliter punctulatae, piloſae pilis decumbentibus. Poſticae albidae, impunctatae margine poſteriore, et interno in omnibus nigro ciliato. Abdomen ſubvirideſcens. Pedes pallide-ferruginei.
Lecta Florentiae.

* 232. P. Evitata.

*Long.* 4. $\frac{2}{3}$ l.

Fuſco-griſea alis cinereo, nigroque reticulatis, obfuſcatis, antice hirtis, areola ad marginem exteriorem, ſtrigaque ante apicem albidis.
An *P. Inconspicua. Lesk.* 51. 38? An *P. Hirta. F*? Cum deſcriptionibus tamen omnino non convenit. Transmiſsa ad *D. D' Antic. Paris.* reſpondit eam se poſsidere ſub dubio nomine *P. Hirtae*.

O

Statura *P. Griseae*, at minor, et omnino diverſa. Antennae corpore paullo longiores, albo fuscoque annulatae, primo articulo haud longiore. Palpi pallidi articulis apice nigris. Caput et thorax griſea, immaculata pilis cinereis hirta. Alae anticae hirtae, cinereo minutiſsime reticulatae, et nigredine aſperſae, areola ad marginem exteriorem, ſtrigaque ante apicem arcuata albidis, margineque poſtico, in Insecto recens excluſo, albo punctato. Alae poſticae hyalinae, ad apicem vix obſcuriores. Pedes pallidi tibiis apice, tarsisque fuſco annulatis.

Habitat juxta aquas frequens, et ſaepe in feneſtris occurrit.

## CV. *HEMEROBIUS.*

*Maxilla* recta, apice fissa. *Labium* corneum, fornicatum. *Antennae* setaceae.

### 233. H. Pulsatorius.

*Long.* $\frac{1}{2}$ l. vix.

Apterus, ore rubro, oculis luteis. *F. ſp.* 394. 15. *Mant.* 248. 19.

*Termes Pulsatorium. Linn. Syst. Nat.* 1015. 2. *Fn. Sv.* 1937.
*Scop. E. Carn.* 1032. *Schrank. E. I.* 1019.
*Termes Lignorum. De Geer Ins.* 7. 41. 1. *t.* 4. *f.* 1. *An varietas?*
*Pediculus Ligni antiqui. Geoff. Ins.* 2. 601. 12.
*Derh. Theol.* 119. *Villers.* 4. 14. 1. *t.* 11. *f.* 3.
*Schaeff. Elem. t.* 126.

Habitat in herbariis, et inter Insecta aſservata, velociter currens, et ubique se abſcondens, hoſtis ab Entomologo collectore prae aliis pertimeſcendus.

## CVI. *TERMES.*

*Labium* corneum quadrifidum: laciniis lineraribus acutis. *Antennae* moniliformes.

### * 234. T. Lucifugum.

*Long. a capite ad apicem alae* l. 4. $\frac{3}{4}$. *A capite ad anum* l. 1. $\frac{1}{2}$. *Latitudo major abdominis* l. $\frac{1}{2}$

Fuſco-nigrum, capite nitido, pedibus pallide-rufis, alis incumbentibus fuſcis, corpore triplo longioribus.

Hoc noſtrum *Termes* habitu omnino ſimile *T. Fatali*, at quintuplo minus, et proximum *H. Testaceo*. *Linn. Syst. Nat.* 912. 8. *et T. Fusco*. *De Geer Inſ.* 3. 567. 1. *t.* 27. *f.* 4. 5. quorum deſcriptiones huic etiam quodammodo competere videntur, sed diverſum, et novum judicio etiam peritiorum.

Caput nigrum laeve nitidum. Antennae moniliformes, fuſcae, articulo ſecundo longiori. Oculi exigui. Thorax niger latitudine capitis, at breviſsimus orbiculatus, inangulatus, utrinque depreſsus. Abdomen fuſco-nigrum. Pedes nigri tibiis, tarſisque pallide-rufis. Alae ſubrugoſae ſuſcescentes, corpore triplo longiores. Occurrunt alia capite ſubrufo, thoraceque antice albido, ejusdemque ſtaturae, ac magnitudinis, quae numquam visa cohabitare cum praecedente. An varietas? An species?

Habitat mens. Jun. sociatim in truncis ſilvarum putreſcentibus, in quibus cum apteris vivere vidi etiam ſaepius innumera alata. Oeconomia videtur eadem quae in aliis ſuae gentis. Alae iis facile exsiccantur, et decidunt, quo forte fit, ut detectis, ac expoſitis eorum acervis, domicilium relinquant, nec amplius poſtridie in iis reperiantur.

## CVII. *MYRMELEON*.

*Palpi* sex inaequales; *postici* multo longiores, articulis ultimis duobus extrorſum craſsioribus.
*Antennae* extrorſum crassiores.

### 235. M. Pisanus.

Villoſus, alis griſeis immaculatis, nervis nigro-punctatis, thorace rubro cinereo, linea nigra duplici longitudinali, corpore toto nigro, albo marginato, ungulis tibiarum recurvis. *Fn. Etr.* 2. 14. 690. *t.* 9. *f.* 8. femina.

*M. Occitanicum* alis hyalinis, nervis albo nigroque variegatis, abdomine annulato, cauda maris hirsuta. *Villers Ent. t.* 3. 63. 9. *t.* 7. *f.* 10. *mas.*

Habitat Pisis, rarus.

## CXII. *TENTHREDO*.

*Palpi* filiformes. *Labium* trifidum.

### 236. T. Padi.

Antennis ſeptemnodiis, atra, femoribus, tibiisque albis. *Linn. Fn. Sv.* 1544.
*Villers Ent.* 3. 91. 29.

Antennae, caput, thorax, abdomen atra. Alae glaucae puncto marginali oblongo atro. Femora, et tibiae albae, ſed palmae praeſertim poſticae nigrae. Antennae antrorſum exſertae 7. vel 8. articulis, acuminatae. *Fn. Sv.*

Parva, et fere duplo minor *T. Rosae*. Femora interdum basi nigra, et palmae poſticae ſuperius fuſcae.

Habitat in Pruni Padi foliis.

### 237. T. Nigra.

*Long.* 3. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{3}{4}$ l.

Antennis ſeptemnodiis, corpore toto nigro. *F. ſp.* 416. 49. *Linn. Syst. Nat.* 925. 34.

*Schranck. E. I. 677.*
*Vill. Ent.* 3. 98. 44.

Corpus totum nigrum pubeſcens. Alae fuſco-hyalinae: ſuperiores nervis, coſta, punctoque marginali nigris.

Habitat ruri, frequens primo vere.

238. T. Vaga.

Antennis ſeptemnodiis, nigra, ventre, pedibusque flavis. *F. ſp.* 415. 46.

Parva. Caput nigrum ore flavo. Thorax niger. Abdomen ſupra nigrum ſtrigis aliquot obſoletis flavis, ſubtus, uti et pedes flavum. F.

Antennae nigrae. Abdomen ſingulo ſegmento macula nigra ſemicirculari tecto, margine poſtico, et laterali pallido.

Semel inveni.

239. T. Viridis?

Pallide-lutea, ſubtus pallidior, capite, thoraceque ſupra characteribus atris.

Videtur varietas notatu digna *T. Viridis*. Statura, et magnitudo eadem quae in *Viridi*. Differt colore, thoraceque luteo, ſubtus pallidiore, abdomine toto luteo, antennis, pedibusque ſaturatius luteis, immaculatis, alis puncto oblongo nigro, marginali. Caput, et thorax picta characteribus atris uti in *T. Viridi*. Mas.

Capta ruri in Alno.

240. T. Haematodes.

*Long.* 3. $\frac{2}{3}$ l *Lat.* 1. l.

Antennis ſeptemnodiis, nigra, thorace antice utrinque rubro.
*Schrank. E. I.* 678.
*Vill. Ent.* 3. 105. 63.

Tota nigra. Thorax utrinque ante alas ruber. Alae hyalinae, ſuperiores coſta fusca, punctoque marginali nigris.

Habitat in plantis non rara.

### 241. T. Rubi Idaei.

Capite, thoraceque nigris, abdomine flavo, antennis duplicibus, laquei inſtar conniventibus. *Fn. Etr.* 2. 31. 731. *t.* 9. *f.* 9.
*T. Furcata*, antennis ciliatis, exarticulatis, furcatis in mare, capite, thoraceque nigris, abdomine flaveſcente. *Vill. Ent.* 3. 86. 19. *t.* 7. *f.* 16. mas. *f.* 17. femina.
Antennae vere ſingulares, et numquam in alio Inſecto obſervatae.
Habitat in hortis; laecta ſaepius in foliis Rubi Idaei.

### 242. T. Rapae.

*Long.* 3. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Antennis ſeptemnodiis, corpore atro, ventre, pedibus, ſcutelloque albidis. *Linn. Syst. Nat.* 242. 35.
*Schrank. E. I.* 676.
*Vill. Ent.* 3. 99. 45.
*Mull. Linn. Nat. Cl. v. p.* 831.
Abdomen nigrum margine ſegmentorum tenuiſsime flavo. Pedes albidi, exterius nigri.
Habitat in Rapae foliis.

### 243. T. Depressa.

*Long.* 5. l. *Lat.* 1. $\frac{1}{4}$ l.

Capite, thoraceque nigro, characteribus flavis, pedibus, abdomineque ferrugineis. *Geoff. Ins.* 2. 281. 21.
*Schrank. E. I.* 691.
*De Geer Ins.* 2. 2. 1040. *t.* 40. *f.* 32.
*Vill. Ent.* 3. 124. 131.
*T. Betulae* valde affinis.
Ruri degit.

## CXIV. *ICHNEUMON.* (*a*)

*Labium* cylindricum, apice membranaceum, emarginatum, medio palpigerum. *Antennae* setaceae.

* *Scut. albido, ant. albo annulatis.*

### 244. I. Quaesitorius.

Scutello flavicante, thorace maculato, abdominis tribus ultimis ſegmentis macula dorſali alba. *F. ſp.* 421. 5. *Linn. Syst. Nat.* 930. 5. *Fn. Sv.* 1582.

Medius. Antennae nigrae ante medium albo annulatae. Caput nigrum immaculatum. Thorax niger puncto minutissimo albo ſub basi alae. Scutellum flavicans. Petiolus niger. Abdominis ſegmentum ſecundum, et tertium rufa, reliqua atra nitida, macula dorſali alba. Pedes ferruginei, poſticique femoribus, tibiarum apice, tarsisque nigris. In noſtris ſegmenta abdominis nigra plerumque quatuor, et quatuor plerumque ſunt maculae albae dorſales. Mas. Feminam numquam vidi.

Habitat in truncis arborum carioſis hieme frequens.

### * 245. I. Inflictorius.

*Long.* 7. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{3}$ l.

Scutello flavicante, thorace immaculato, abdomine atro, ſegmento ſecundo utrinque macula, apiceque puncto minutissimo flavis.

---

(*a*) *Species hujus generis ob coloris, et sexus varietatem nimis multiplicantur in dies, et scientia inutili nominum farragine oneratur; huic malo ne ad infinitum crescat, partim succurreretur figuris, et descriptionibus accuratioribus quae semper affinitatem, ac sexum indicarent, nulla propemodum habita in multis ratione (sunt enim notae incostantes) antennarum fasciae, scutellique concoloris, aut non; sic forte luxurie compressa, facilius speranda aliquando foret certior generis instauratio.*

*I.* Niger, pedibus ferrugineis, thoracis apice, maculisque abdominis quatuor albis, antennarum medio albo. *Geoff. Ins.* 2. 345. 54. varietas?

Antennae nigrae annulo dimidiato albo, abdomine paullo breviores. Caput nigrum linea ante oculos tenuiſsime alba. Thorax niger immaculatus, ſcutello flavicante. Abdomen atrum nitidum ſegmento ſecundo basi utrinque macula, ſummoque apice puncto minutiſsimo flaveſcentibus. Pedes primi, et ſecundi paris toti ferruginei, ſed poſtici, tarſis, femoribus, tibiisque apice nigris. Alae hyalinae puncto oblongo fulvo marginali. Mas.

Authores in deſcribendo *I. Sugillatorio* parum conſentanei ſunt, et hic noſter nimis differre videtur a deſcriptionibus praeſertim *Linnaei*, et *Fabricii*.

Habitat in silvis; lecti plures, at ſemper inventi mares, et inter se ſimillimi.

### * 246. I. Machinatorius.

*Long.* 9. l. *Lat.* 1. $\frac{2}{3}$ l.

Ater, ſcutello, tarſis, tibiarumque basi albidis, abdomine immaculato.

Antennae nigrae, apice pallidae, annulo dimidiato albo, articulis brevibus. (*a*) Caput, thorax, abdomen atra imma-

---

(*a*) Ichneumonum *antennae quae praeter formam, et modos a* De Geer Ins. 1. p. 558. *jam descriptos, variare etiam observantur hoc triplici modo, scilicet* 1. in antennis articulis conicis brevibus, *uti videre est in* I. Crispatorio, *aliisque multis*. 2. In antennis, articulis elongatis, uti in I. Gladiatore. 3. Et in antennis articulis brevibus, compressis, internoque latere subcrassioribus, vel subserratis, uti in I. Arrogatore; *novum suppeditare possent characterem minus annulo, fasciaque alba incostantem ad distribuendas familias, cognitionemque specierum faciliorem reddendam.*

culata. Scutellum album. Pedes nigri tarſis, tibiarumque basi albidis. Aculeus breviſsimus.

Quamvis experientia apprime edoctus quasdam *Ichneumonum* ſpecies interdum variare magnitudine eximia, tamen cum hic meus *Ichneumon* differat ab *I. Molitorio* etiam defectu puncti albi in apice abdominis, ut pro varietate hujus assumatur, non facile aſsentior.

Prodiit mihi e pupa *P. Bombycis*.

* 247. I. Vacillatorius.

*Long.* 5. $\frac{1}{3}$ l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Niger, scutello albo, abdominis ſegmentis margine tenuiſsimo albis, tibiis anticis brevibus, dilatatis.

Accedere videtur ad *I. Nutatorium*. Totus armato oculo, cinereo-piloſus. Antennae porrectae, articulis elongatis, nigrae, annulo lato albo-faſciatae. Caput nigrum puncto ſub oculis utrinque minutiſsimo albo, labiique emarginatura albo-punctata. Thorax niger lineola alba ante alas. Scutellum parvum lineolaque poſtica minutiſsima alba. Abdomen nigrum apice reflexum, ſegmentis omnibus margine tenuissimo albis. Pedes ferruginei nigro ungulati. Anticorum tibiae breviſsimae, gibbae, dilatatae, compreſsae femoribus paullo craſsiores: poſticorum vero femora, tibiaeque apice nigrae, tarsi nigri ante apicem albi. Femorum apophyſes nigrae. Aculeus exsertus, rufus dimidio brevior abdomine, valvis nigris ſubrecurvis, contortis, et ſub aculeo ſpina brevis, armato oculo, tantum conſpicua.

Lectus in silvis.

248. I. Sarcitorius.

*Long.* 5. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{4}$ l.

Scutello albido, thorace immaculato, abdominis ſegmento tertio poſterius, ſecundoque ferrugineis, ſexto flavo. *F. ſp.* 421. 3. *Linn. Syst. Nat.* 930. 3. *Fn. Sv.* 1580.

*Raj. Ins.* 255. 15.
*Sulz. Ins. t.* 18. *f.* 15.

Antennae longitudine abdominis, ſubtus fulvae, apice nigrae, annulo dilute luteo, articulis brevibus. Aculeus in femina breviſsimus.

Habitat in hortis frequens.

249. I. Funereus?

*Long.* 7. l. *Lat.* 1. l.

Niger, thoracis apice antennarumque medio albis. *Ent. Par.* 406. 40.

*Villers Ent.* 3. 141. 21.

Affinis *I. Deliratorio*. Antennae articulis brevibus, nigrae, ante medium annulo dimidiato albo, longitudine abdominis. Caput nigrum linea ante oculos albida. Thorax niger puncto ſub alis albido: Scutellum triangulare albidum. Abdomen petiolatum obſcure nigrum. Pedes nigri introrſum pallidi, praeſertim quatuor antici. Alae puncto marginali ferrugineo. Mas. Macula alba in femorum origine a *Villers* adnotata, nil aliud ſane est, ſaltem in meo ſpecimine, quam ipſa junctura intus albida.

Occurrit in plantis non rarus.

* 250. I. Oblatorius.

*Long.* 4. l. vix.

Ater, ſcutello albido, capite, thoraceque maculatis, abdomine petiolato, breviſsimo, albo marginato.

An *I. Porrectorio* affinis? E deſcriptione periti judicabunt. Inter medios minor. Antennae fere longitudine corporis, porrectae, articulis elongatis, nigrae, ante apicem albae. Caput nigrum ore, palpis, puncto ſub antennis, binisque in vertice minutiſsimis albis. Thorax niger puncto medio antico minimo, altero loco ſcutelli, lineolaque tranſversa tenuiſsima, et pone hanc ad apicem litura quadrangulari majuscula albis. Abdomen nigrum, petiolatum, porrectum,

thorace brevius, ſegmentis albo marginatis apice quasi obtruncato. Aculeus exſertus longitudine abdominis. Pedes antici obſcure rufi femoribus basi pallide-annulatis: postici femoribus, tibiisque fuſcis, tarsis pallidis.

Captus ruri.

251. I. Motatorius.

Scutello albo, thorace immaculato, abdomine rubro, apice nigro, puncto albo. *F. ſp.* 423. 14.

*Vill. Ent.* 3. 139. 14.

Parvus. Antennae articulis brevibus, nigrae albo-annulatae. Caput, et thorax atra immaculata ſcutello ſolo albo. Aculeus brevißimus. Pedes nigri tibiis anticis totis; poſticis basi rufis.

Habitat etiam in hortis.

252. I. Luctatorius.

*Long.* 5. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Scutello albo, thorace maculato, abdominis ſegmento ſecundo, tertioque luteis. *F. ſp.* 423. 15?

*I.* niger, tibiis, ſegmentoque ſecundo, tertioque abdominis flavis. *Fn. Sv.* 983.

*Geoff. Ins.* 2. 247. 59.

Noſtra ſpecimina differunt a deſcriptione *Linn. Fn. Sv.* 1590. et *Geoffroae l. c.* defectu macularum in ſegmento quarto, et admodum variant. In nonnullis frons nunc flava, nunc immaculata. Femora omnia modo craſsiuſcula, modo non. Primum ſegmentum, et ultimum ſemper nigra: ſecundum, et tertium flava, et interdum etiam petioli apex flavus. Tibiae flavae apice nigrae, ſubtus fulvae. Mares omnes quotquot vidi. Confer *I. Elegantulum. Schr. E. I.* 727.

Habitat Florentiae.

** *Scut. albo, antennis nigris totis.*

* 253. I. Perfusorius.

*Long.* 5. $\frac{1}{3}$ l.

Niger, ſcutello albido, abdominis apice albo maculato, pedibus, palpis, antennisque basi ferrugineis.

An sit nova species, determinare non potui. Forte varietas, ſeu alter ſexus *I. Scirpi*. *Geoff. Ins.* 2. 346. 56?

Antennae articulis brevibus, basi ultra medium ferrugineae, apice nigrae. Caput nigrum palpis ferrugineis. Thorax niger immaculatus. Scutellum albidum. Abdomen nigrum, petiolatum, ſummo apice macula albida. Pedes ferruginei tarſis poſticis nigris. Alae puncto marginali ferrugineo. Mas.

Habitat ruri.

254. I. Laetatorius.

*Long.* 2. l.

Scutello albo, niger, thorace maculato, abdomine rufo, apice nigro, tibiis poſticis annulo albo. *F. ſp.* 424. 26.
*I. Dichrous*. *Schrank. E. I.* 710.

Deſcriptio *Fabricii* optima. Aculeus in femina brevis. An variat abdomine, antennisque totis nigris?

Occurrit in plantis non rarus.

*** *Scut. thoraci concolore, ant. faſcia annulatis.*

* 255. I. Praedator.

*Long.* 6. l.

Niger, abdominis ſegmento penultimo, tarsisque poſticis albo-faſciatis, pedibus rufis; ungulis inſolenter apertis, craſſioribus.

Ab *I. Cinctorio*, et *Restauratore*. *F.* diſtinctiſsimus. Antennae articulis elongatis, porrectae, nigrae, annulo albo. Caput, et thorax atra immaculata. Petiolus craſsus, compreſsus, incurvus, rufus. Abdomen gibbum, atrum, ſegmento penultimo faſcia lata alba. Aculeus fuſcus exſertus dimidio

minor abdomine, valvis nigris ſubincurvatis. Pedes rufi geniculis nigris: poſtici tarſis fuſcis, ſecundo albo annulato. Ungulae omnes nigrae praeter morem, reſpectu magnitudinis Inſecti, craſsiuſculae, hiantes.
Lectus in Rubo.

### * 256. I. Occultator.

*Long.* 7. l. *Lat.* 1. l. *et ultra*.

Niger, capite globoſo, majuſculo, abdomine ſeſsili, pedibus ferrugineis, tibiis quatuor anticis compreſsis, latitudine femorum.
*I. Ocreatus*, niger pedibus rufis, tibiis, plantisque poſterioribus fuſcis, aculeo longitudine abdominis. *Mus. Lesk. p.* 60. *n.* 183. qui mihi ignotus, prae aliis juxta hanc diagnoſin ad noſtrum ſpecimen accedere videtur.
Caput nigrum thoraci fere adnatum palpis fuſcis longiusculis. Antennae articulis elongatis, nigrae; albo-annulatae. Abdomen ſeſsile, nigrum, immaculatum, petiolo breviſsimo, aculeoque fuſco longitudine abdominis. Pedes ferruginei. Tibiae primi, et ſecundi paris compreſsae, latitudine femorum: poſticae una cum tarſis fuſcae. Alae hyalinae punct-nigro marginali. Differt ab *I. Manifestatore* antennis albo-faſciatis, forma capitis diverſa, abdomine non cylindrico, neque arcuato, tibiis anticis compreſsis, aculeo breviore. Ab *I. Insignitore Vill. Ent.* 3. 164. 90. differt petiolo breviſsimo, tibiis anticis compreſsis, aculeoque corpore non ſesquilongiore.
Habitat in ſilveſtribus.

### 257. I. Exhortator.

*Long.* 3. $\frac{1}{4}$ l.

Ferrugineus, capite, abdominisque apice nigris, ano albo. *F. Mant.* 264. 54.
Medius. Antennae articulis elongatis, nigrae albo-faſciatae, basi ferrugineae primo articulo nigro. Caput atrum immaculatum.

Thorax ferrugineus. Abdomen baſi ferrugineum, apice atrum, ultimo ſegmento albo. Pedes ferruginei geniculis nigris. Alae albae puncto marginali nigro. *F.* In noſtris, qui mares ſunt, pedes nigri geniculis rufis, et magnitudo inter medios minor.
Habitat ruri non frequens.

* 258. I. Amator.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l.

Ater, abdomine petiolato, apice albo, pedibus nigris, aculeo fere longitudine abdominis.
Statura, et magnitudo *I. Gladiatoris*. Antennae articulis elongatis, nigrae, albo ſemifaſciatae. Caput, et thorax atra immaculata. Abdomen petiolatum, oblongo-ovatum, atrum, extimo ano albo. Aculeus niger abdomine paullo brevior. Pedes nigri tibiis, tarſisque quatuor anticis inferne pallidis. Alae puncto nigro marginali.
Ruri degit.

**** *Scutello thoraci concolore antennis nigris.*

* 259. I. Insinuator.

*Long.* 5. $\frac{1}{4}$ l.

Niger, abdomine ſeſsili ferrugineo, aculeo duplo longiore tarsis omnibus albido-flavis, alis ad coſtam apicemque nebulosis.
Antennae nigrae ſetaceae, articulis elongatis. Caput, thoraxque, nigra, immaculata. Abdomen ſeſsile oblongum, ferrugineum aculeo rufo duplo longiore. Petiolus rectus, niger. Pedes tenues: antici rufi tarſis albido-flavis; poſtici fuſci tarsis albidioribus. Ungulae nigricantes. Alae hyalinae puncto nigro marginali, apiceque nebuloſis.
Habitat Florentiae.

260. I. Illecebrator.

*Long.* 11. l. *Lat.* 2. l.

Niger, nitidus pedibus fulvis. *Villers Ent. t.* 3. 194. 192.
Facies *Siricis*; maximus, totusque niger praeter pedes qui fulvi ſunt, tibiis, tarſisque poſticis fuſcis. Antennae longitudine abdominis. Aculeus quatuor lineas longus. Variat magnitudine duplo minore. *Mas* mihi, et *D. Villers* ignotus.
Habitat in silvis.

261. I. Turionellae.

*Long.* 3. $\frac{1}{2}$ l.

Niger, pedibus rufis, tibiis poſticis nigris albo–annulatis. *Fab. ſp.* 432. 76.
*I. Turionellae* niger, abdomine cylindrico, macula alarum fuſca albae inſerta, tibiis poſterioribus albo annulatis. *Linn. Syst. Nat.* 935. 40. *Fn. Sv.* 1615.
Antennae flaveſcentes, abdomine dimidio breviores. Caput parvum nigrum. Palpi flavi. Thorax niger immaculatus. Abdomen cylindricum nigrum. Aculeus breviſsimus. Pedes rufi; poſticique femoribus craſsiuſculis, tibiis nigris bis albo–annulatis. An varietas?
Raro lectus.

262. I. Resinellae.

*Long.* 6. l.

Niger, pedibus flavis, abdomine ſeſsili cylindrico incurvo, antennis basi luteis. *F. ſp.* 433. 81. *Linn. Syst. Nat.* 936. 43. *Fn. Sv.* 1618.
Niger immaculatus. Antennae nigrae basi ſubtus flava. Palpi flavi. Abdomen cylindricum ſeſsile, apice ſubincurvato. Pedes flavi tarſis, tibiisque poſticis apice fuſcis. Alae breves. Mas.
Habitat in larva *P. Resinellae*.

### 263. I. Bifasciatus.

*Long.* 4. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Niger immaculatus, abdomine petiolato, tibiis ſubferrugineis, alis albohyalinis faſcia duplici tranſverſa atra, prima marginem exteriorem haud attingente.

Videtur *I. Bifaſciatus*, *Ent. Par.* 2. 405. 37.

Antennae articulis elongatis nigrae ſubtus fuſcae. Aculeus niger dimidio brevior abdomine. Reliqua in nomine dicta.

Occurrit in plantis rarus.

### 264. I. Oculator.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Ater, abdominis basi utrinque puncto flavo, thorace poſticè bidentato. *F. Mant.* 267. 96.

*I. Atomos*. *Fn. Etr.* 2. 54. 792.

Craſsiuſculus, ater. Antennae porrectae nigrae longitudine abdominis. Caput nigrum. Palpi flavi. Thorax ater poſtice bidentatus. Abdomen ovatum, punctulatum ſubtus fornicatum, ſupra integrum, hoc est annulis indiſtinctum, atrum basi utrinque puncto flavo, at ſaepe primo ſegmento toto flavo. Aculeus rufus abdomine paullo longior. Pedes rufi tibiis poſticis nigris; hi tamen juxta ſexum colore variant, et femora interdum omnia nigra. Variat etiam ſaepius abdomine toto nigro, praeſertim in feminis. Alae hyalinae puncto marginali (nota inconſtantiſsima) modo nigro, modo flavo.

Habitat in hortis frequens.

### * 265. I. Cuniculator.

*Long.* 4. l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Rufus, abdomine ovato, alis omnibus nigris, puncto majuſculo marginali flavo.

I. *Tentator*. *Fn. Etr.* 2. 50. 783. Ne confunderetur cum *I. Tentatore*. *Villers Ent.* 3. 196. 200. nomen permutavi.

Accedere videtur ad *I. Faſtidiatorem*, at fere dimidio minor, et diverſus. Antennae nigrae longitudine abdominis. Caput rufum oculis, vertice, ocellisque nigris. Thorax rufus nigredine aſpersus. Abdomen ſubsessile rufum petiolo brevi lato concolore, aculeoque nigro abdomini ſubaequali. Pectus poſtice nigrum. Pedes rufi femoribus poſticis, tibiisque apice nigris. Alae omnes nigrae puncto majuſculo marginali flavo inter duo nigra.

Deſcriptio *Fn. Etr. l. c.* competit maſculo qui interdum variat abdomine nigricante.

Habitat in ſilvestribus frequens.

### 266. I. Terrefactor.

*Long.* 4. l. *Lat.* ½ l.

Teſtaceus, capite, thoraceque nigro maculatis, antennis nigris. *Vill. Ent.* 3. 195. 194. *t.* 8. *f.* 6.

Mediocris. Antennae, oculique nigri. Caput teſtaceum in medio macula nigra angulata. Thorax teſtaceus lineis, ſeu maculis longitudinalibus, quarum latitudo inaequalis, ſupra notatus. Macula nigra ſuper petiolum. Aculeus teſtaceus corpore duplo longior; vaginae nigrae. Femora teſtacea. Tarſi omnes nigri. Tibiae poſteriores nigrae. *Vill.*

Color, in noſtris, rufus, alaeque in medio lunula albida. Proximus *I. Impostori*, magisque affinis praecedenti, a quo tamen differt praeſertim aculeo in hoc multo longiore.

Habitat in ſilvis, et locis incultis non rarus.

### * 267. I. Cuspidator.

*Long.* 2. l. *Lat.* ½ l.

Niger, gibbus, thorace antice rufo, abdomine vix petiolato, rufo; lamina ſubtus acuminata.

Statura diverſa a praecedente, magis contracta, et gibboſior. Totus niger praeter thoracem antice ruſum et abdomen, quod tamen ſaepe dorſo nigreſcit. Caput parvum. Antennae porrectae longitudine abdominis. Thorax gibbus pectore in medio nigro. Abdomen thoraci adnatum, lamina ſubtus vomeriformi acuta. Aculeus abdomine paullo longior. Alae nigrae litura vix hyalina.

Lectus ruri.

* 268. I. Sagittator.

*Long.* 8 l. *Lat.* 1. l.

Niger, abdomine ſubfalcato, tibiis, tarſisque quatuor anticis albido luteis; capite ſubhirto, punctoque ſub antennis flavo.

Proximus *I. Pugillatori*, et *Reſinellae* quamvis ab iis diverſiſſimus. Antennae mediocres articulis brevibus nigrae. Caput nigrum, villis canis hirtum, oculis parvis, puncto ſub antennis flavo, oblongo obſoleto. Palpi lutei vix apparentes. Thorax niger ſubhirtus immaculatus. Abdomen ſubfalcatum tenue elongatum, lateribus compreſſum, apice vix incurvo, haud craſſiori, ſupra nigrum, ſubtus flavum. Petiolus tenuiſſimus niger. Pedes quatuor antici tenues, femoribus nigris, tibiis, tarſisque albido luteis: Poſtici, maximam partem, fuſco-nigri, tarſis (reſpectu tibiarum, ac femorum) craſſiuſculis, ſubtus teſtaceis, ſupra, primo excepto apice tantum, nigris. Alae albae, breviſſimae, erectae. Mas.

Habitat Florentiae.

***** *Antennis luteis.*

269. I. Lunulatus.

*Long.* 9. l. *Lat.* 2. l. vix.

Niger, abdominis ſegmentis flavo cinctis. *Vill. Ent.* 3. 203. 224.
*I. Variegator. Fn. Etr.* 2. 46. 772. *t.* 10. *f.* 13.
*An I. Variegator. F. Mant.* 268. 102?

Cum maximis certat. Niger flavo variegatus. Antennae abdomini ſubaequales nigrae, ſubtus fulvae, articulis brevibus. Caput nigrum fronte flava, macula media oblonga nigra. Thorax niger lineola flava ante alas utrinque, poſtice lunulatus, lunula flava cornibus abdomen ſpectantibus, ſeu ſcutello emarginato-bidentato flavo. Ante lunulam puncta duo flava, poſt lunulam, unum; iterumque alia duo ad latera poſtica. Pectus nigrum macula magna laterali, punctoque oblongo contiguo ſub basi alarum flavis. Abdomen compreſsum, clavatum, atrum, ſegmentorum marginibus omnibus flavis. Pedes flavi femoribus introrſum fuſco maculatis. Apophyſes omnes nigrae macula media flava. Alae flaveſcentes. Mas.

Habitat Florentiae rarus. An hujus tribus?

### 270. I. Amictus.

*Long.* 9. l.

Niger, abdomine falcato, antennis, pedibusque ferrugineis. *F. ſp.* 436. 101.

Statura, et magnitudo *I. Lutei*. Antennae flavae longitudine abdominis. Caput dilute flavum vertice, oculisque nigris. Thorax ater omnino immaculatus. Abdomen falcatum ferrugineum. Aculeus brevis vix lineam longus. Pedes quatuor antici ferrugineo flavi, tibiis, tarsisque pallidioribus: poſtici ferruginei tibiis ſummo apice nigris, tarsisque pallidis. Apophyſes pedum quatuor anticorum dilute flavae; poſticorum vero introrſum ferrugineae, extrorſum nigrae. Alae obscurae abdominis medium longitudine paullulum ſuperantes.

Habitat Florentiae non rarus.

### 271. I. Cinctus.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* $\frac{1}{3}$ l.

Ater, antennis, pedibusque ferrugineis, alis albis fasciis duabus nigris. *F. ſp.* 437. 107. *Linn. Syst. Nat.* 938. 60. *Fn. Sv.* 1632.

*Ichneumon* niger, alis albis faſcia duplici nigra, poſteriore majori. *Geoff. Ins.* 2. 359. 85.
Habitat in hortis, etiam in feneſtris frequens.

272. I. Crassipes.

Fulvus, flavoque varius, thorace ſublineato, femoribus poſticis clavatis. *Fn. Etr.* 2. 52. 787. *t.* 2. *f.* 15. Permutandum nomen jam uſurpatum.
Femina mari ſimillima, aculeo abdomine breviore, fuſco, valvis nigris.
Habitat in ſilveſtribus.

* 273. I. Lenocinator.

*Long.* 5. l *Lat.* $\frac{1}{3}$ l.

Rufo-albidoque varius, abdomine seſsili, pedibus citrinis.
Caput nigrum fronte rufeſcente, labio, palpis, orbita oculorum, punctoque verticis flavo-albidis. Antennae corpore breviores, fuſcae, ſubtus rufeſcentes. Thorax antice uſque ad ſcutellum, et lateribus rufus, lineolis duabus dorſalibus interruptis ſcutellum cingentibus albidis. Post ſcutellum lineola brevis albida; poſtice niger puncto utrinque laterali albido. Abdomen seſsile, ſubcylindricum ſegmentis prominulis basi nigris, lateribus late, et ad marginem tenuiſsime fulvis. Aculeus lineam longus albidus, vaginis nigris. Pedes pallide citrini femoribus poſticis in medio rufeſcentibus, tarsisque nigro geniculatis. Alae albae breves, puncto marginali majuſculo ferrugineo.
Mens. April. quatuor mihi prodierunt declarati e folliculis intextis intra nidum *Araneae* ſub arboris cortice inventum, ubi larvae jam conſumtis maximam partem ejus ovulis, metamorphoſin ſubierant: feminae omnes, unaque earum etiam monſtruoſitate quadam ſingularis, ſcilicet excreſcentia in medio oculi dextri ſita, ab ipſa cornea inſolenter aucta efformata.

****** *Minuti, ant. filiformibus, abdomine sessili.*

274. I. Mutillarius.

*Long.* 2. l.

Apterus, rufus, capite, thoracis, abdominisque poſtico nigro. *F. Mant.* 271 152.

Major in hoc ordine. Caput nigrum nitidum. Antennae flaveſcentes, baſi ferrugineae, apice nigrae. Thorax antice rufus, poſtice niger. Abdomen rufum, poſtice nigrum. Aculeus exſertus abdomine brevior. Pedes rufi femoribus poſticis nigris.

Lectus ruri.

* 275. I. Cyniformis.

*Long.* 2. l.

Viridis, abdomine brevi reflexo nigro, petiolo longo, ſcutello bifurcato.

Elegantiſsimus, et forma paullulum ab aliis diverſus. Caput viride ab ore ad frontem breve reſpectu latitudinis. Thorax viridis valde gibbus, craſsus, punctis elevatis ſcaber, poſtice attenuatus. Scutellum prominens apice bifurcatum. Abdomen atrum, nitens, ovatum, fornicatum penitusque reflexum. Petiolus ab imo pectoris derivatus longitudine abdominis. Aculeus brevis ſub fornice abſconditus. Pedes lutei. Alae albae puncto marginali fuſco. Statura accedit ad *E. Ediogaster. Fn. Etr.* 2. 801. quae inter *Ichneumones* amandanda videtur.

Lecti duo Florentiae, quorum unus miſsus ad *D. d' Antic Paris*. an. 1790.

* 276. I. Rodophthalmus.

*Long.* 2. l.

Fuſco viridi-aeneus, oculis rubris.

Statura, ac habitu accedere videtur ad *Ichneumonem De Geer Inſ.* 2. 2. 897. *t.* 31. *f.* 11. at deſcriptio minime convenit.

Major *I. Bedeguaris*. Caput viride. Oculi rubri. Antennae fractae nigrae, basi flaveſcentes capite paullo longiores. Thorax fuſco-viridi-aeneus, gibbus. Abdomen breve, ovatum, lateribus ſubcompreſsum, fere thoraci adnatum, aeneo nitidum. Aculeus exſertus, rufus, longitudine abdominis. Femora poſtica craſsiora aeneo viridia. Tibiae ſubrufae; poſticae craſsiores. Tarsi albidi. Alae albae puncto marginali nigro.

Lectus in foliis Bignoniae radicantis. m. Jul.

277. I. Muscarum.

Auratus, pedibus flavis ſaltatoriis. *F. ſp.* 438. 109. *Linn. Syst. Nat.* 938. 62. *Fn. Sv.* 1636.
*De Geer. Ins.* 1. 32. *f.* 19. 20.
*Fn. Fridr. n.* 621.
*Villers Ent.* 3. 205. 230.

Habitat in larvis Muſcarum Aphidivorarum.

* 278. I. Mortuorum.

Atro-aeneus, oculis nitidiſsimis coralinis.
Minutus. Antennae breves ſubclavatae.

Ambulat ſuper cadavera in arculis Inſectorum.

## CXVI. *CHALCIS*.

*Palpi* quatuor aequales. *Antennae* breves cylindricae, fere fusiformes, articulo primo ſubcraſsiori.

* 279. C. Immaculata.

*Long.* 2. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Nigra, immaculata, pubeſcens, abdomine nitido, femoribus poſticis globoſis, ſerratis, tibiis arcuatis.

An *Veſpa* nigra femoribus poſticis globoſis, ſerratis, tibiis arcuatis, alarum basi, genubusque flavis. *Geoff.*

*Ins.* 2. 38. 15. Varietas? An alter ſexus *C. Puſillae F*? determinare haud potui.
Thorax, et genua, in noſtris, omnino nigra immaculata uti totum corpus. Alae albae.
Occurrit cum congeneribus in arborum foliis rarior.

## CXVII. *S P H E X*.

*Os* lingua inflexa trifida. *Labium* emarginatum utrinque seta instructum. *Antennae* filiformes.

### 280. S. Plumbea?

*Long.* 3. l. *Lat.* $\frac{1}{2}$ l.

Plumbea, antennis atris, alis anticis, apice fuscis. *F. Mant.* 178. 64.
Plumbea, ſeu cinereo-fuſca. Antennae nigrae thorace longiores. Caput cinereum. Abdominis ſegmenta basi atra, apice cinerea. Pedes cinereo-fuſci. Alae albae, anticae apice fuſcae.
Deſcriptio *S. Cinereae*. F. nimis convenire videtur cum deſcriptione *S. Plumbeae*, unde dubium.
Habitat in floribus.

### * 281. S. Notata.

Nigra, abdominis ſegmento ſecundo macula fulva dorſali notato.
Statura, et magnitudo fere *S. Rufipedis*. Tota nigra immaculata, praeter ſegmentum ſecundum abdominis macula fulva oblonga in medio notatum. Alae obſcurae apice fuſcae.
Lecta in ſilvis Piſanis.

### 282. S. Maculata.

Atra, thorace albo maculato, abdominis ſegmento primo rufo, reliquis utrinque lineola transverſa alba. *F. Mant.* 277. 50.

Vix major *C. Uniglumi*. Caput nigrum immaculatum. Antennae nigrae capite paullo longiores. Thorax niger lineola abbreviata marginis anterioris, puncto ante alas, ſcutelloque albis. Abdomen ovato-conicum, apice ſubincurvatum primo ſegmento ſupra late rufo, reliquis nigris, utrinque lineola tranſverſa alba. Pedes rufi. Alae albae.
Habitat ſilvas rariſsima.

### 283. S. Carbonaria.

*Long.* 3. l.

Tota nigra, alis hyalinis. *Scop. Ent. Carn.* 782,
*Villers Ent.* 3. 248: 75.
Pedes huic nigri. Corpus vix piloſum. Antennae thorace longiores. *Scop. l. c.*
Non confundenda haec *Sphex* cum *S. Nigra* F. nam minor abdomenque aliter conformatum. *Vill. l. c.*
*Sphece Nigra* F. obſcurior, antennaeque longiores. Alae hyalinae. Aculeus rufus. Magnitudine tamen apud nos ſaepe aequat *S. Nigram*.
Habitat circa ſepes, [illegible] [illegible] etiam in hortis.

### 284. S. Boops.

*Long.* 4. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 1. $\frac{1}{4}$ l. vix.

Atra abdominis ſegmentis tribus, tarſisque teſtaceis. *Schr. E. I.* 777.
*Vill. Ent.* 3. 249. 82.
Proxima *S. Gibbae* a qua praeſertim differt oculis magnis ſubteſtaceis totum ſuperne caput occupantibus, fere coalitis, haud tamen exſertis. Abdomen breve ovatum, duplo minus thorace, rufum, apice nigrum. Tarſi teſtacei. Alae apice etiam hyalinae. Villoſula.
Habitat in floribus Umbellatis, rarior.

## CXIX. *SCOLIA.*

*Os* lingua brevi, trifida. *Labium* porrectum apice membranaceum, integrum, medio palpigerum. *Antennae* ſubpetiolatae.

### 285. S. Flavifrons.

Atra, fronte flava, abdomine maculis quatuor flavis. *F. ſp.* 452. 5.
*Fn. Etr.* 2. 69. 832. *conf.*

Mas duplo minor femina. Antennae in femina nigrae; in maſculo flavae basi nigra, at in utroque ſexu breves, apiceque retortae. Abdominis maculae modo disiunctae, modo cohaerentes. Aculeus adeo validus ut in teneriori ligno notam imprimere queat.

Habitat in pratis, et ſilvis paſsim, frequentans flores.

### 286. S. 2-maculata.

Hirta, atra, abdomine maculis duabus luteis, antennis flavis. *F. ſp.* 452. 7.
*Pet. Ins. Cal.* 32. 161.
*Fn. Etr* 2. 70. 833. *conf.*

Paullo minor, ſed ſtatura eadem quae in *S. Hortorum*. In omnibus quotquot inveni, antennae flavae, rectae, prismaticae; anus conſtanter triſpinoſus.

Habitat in ſilvarum arboribus excavatis, ibique ſaepe inventa, numero tamen inferior, cum *S. Hortorum*; lecta etiam ſimul in horto cum convolaſset ad flores Lilii albi vulgaris. An mas ſequentis?

### 287. S. Hortorum.

Atra, abdomine faſciis duabus flavis, alis ferrugineis, apice cyaneis. *F. Mant.* 281. 12.

*Scolia* hirta, nigra, abdomine maculis quatuor flavis. ***Pet. Inſ. Cal.*** 32. 160.
*S. Interrupta. Scop. Del. Fl. et Fn. Ins. faſc.* 2. *p.* 60. *t.* 22. *f.* 3. *Fn. Etr.* 2. 70. 834. *conf.*

Non deſunt qui judicant hanc noſtram eſse *S. Quadrimaculatam* F. Hirta uti praecedens. Alae ferrugineae apice cyaneae. Antennae nigrae, rectae, priſmaticae. Anus conſtanter triſpinoſus. Variat interdum dorſo thoracis antice, anoque flaveſcentibus.

Habitat cum praecedente frequentior.

## * 288. S. Sexpunctata.

Hirta, atra, abdomine maculis ſex pallide luteis, alis ferrugineis, apice pone medium fuſco-violaceis.

Statura, habitus, color omnino *S.* 4-*punctatae*, at dimidio major. Antennae non rectae, breviores, apiceque retortae. Caput nigrum puncto pone oculos albo. Thorax niger immaculatus. Abdomen nigrum maculis sex exalbidis, seu pallide-luteis in 2. 3. 4. ſegmento sitis: anticae mediocres, et utrinque emarginatae; mediae majores, orbiculatae; poſticae multo minores, quasi puncta oblonga transversa. Anus nullo modo triſpinoſus, ſed inermis, retusus. Alae ferrugineae apice fuſco-violaceae.

Determinare haud potui in *Fn. Etruſca*, confer *S.* 4-*punctatam t.* 2. 74. 840. an haec eſset ſpecies distincta, ſeu varietas ſexus *S.* 4-*punctatae*; peritiorum judicio etiam nunc relinquam: at foret ne femina? Sane etiam in *S. Bicincta* faſciae abdominis flavae variant, nunc enim magis, nunc minus in medio ſinuatae, margineque emarginatae; Variare ea quoque videtur magnitudine paullo minori, antennis priſmaticis rectis, apiceque abdominis triſpinoſo, cui varietati, alia ( forte ſp. diſtincta ) habitu, ſtatura, ac magnitudine omnino ſimillima occurrit, antennis rectis priſmaticis, anoque pariter triſpinoſo, diverſa tamen numero faſciarum abdominis, nam in quarto ſegmento tertia gaudet faſcia multo anguſtiore, ac eleganter ſuperius attenuata, et in primo, uti in quinto ſegmento interdum, puncto utrinque

minutiſsimo flavis: Inſuper in hac thorax ſemper lateribus anticis macula flava notatus aſpicitur: reliqua ſimilia. Praeterea non omittendum ſpecimen aliud quod habeo diſtinctum tantummodo faſcia unica abdominis flava. (*a*)

Lecta ſemper in ſilvis cum *S.* 4-*punctata* eodem tempore, et loco.

* 289. S. 8-punctata.

Atra, thorace maculato, abdomine punctis utrinque quatuor albis, alis hyalinis.

Statura, et magnitudo omnino *S. Quadriguttatae*. Antennae nigrae thorace breviores, apice retortae. Caput nigrum puncto inter antennas albo, armatis oculis tantum perſpicuo. Thorax niger antice utrinque albo-punctatus. Abdomen

---

(*a*) Obs. *Dubitatum an* Scoliae *quae gaudent ano triſpinoso, antennisque prismaticis, rectis, forent ne mares? Quae antennas habent breviores, apice retortas, anumque non ſpinoſum, retuſum, an plerumque feminae? Quoad species sequentes apud nos obvias, scilicet* S. Insubricam Scop. ( *quae a nonnullis habetur pro masculo* S. Sexmaculatae, ) Bicinctam, Quadripunctatam, *observatio haec mihi visa est admodum veritati proxima: Quoad vero* S. Flavifrontem, Bimaculatam, Hortorum, Sexmaculatam, Interruptam, *visa est aut falsa, aut prorsus dubia; nam*

*In* S. Bimaculata, Hortorum, et Interrupta F. *Antennae observantur constanter prismaticae, anusque trispinosus.*

*In* S. Flavifronte, *et in* Sexmaculata; *antennae constanter breves, apice retortae, anus absque spinis.*

*In* S. Insubricae variet. majore; *antennae constanter breves, apice retortae, anus absque spinis. In* varietate minori; *antennae constanter prismaticae, anus trispinosus.*

*Et hoc idem quod in* Insubrica; *constanter etiam in iis quas pro varietatibus habemus* Bicinctae, *et* Quadripunctatae, *observatur.*

atrum punctis utrinque quatuor tranſversis, minutiſsimis albis, in quatuor ultimis ſegmentis ſitis. Pedes nigri. Alae hyalinae. Differt a *S.* 4-*guttata*, fronte non macula, ſed puncto albo vix conſpicuo notata; antennis totis nigris duplo brevioribus, apiceque minus craſsiore; thorace maculato; numero punctorum abdominis, quae in hac etiam minuſcula, et magis lateraliter poſita.

Lecta ruri in floribus.

## CXX. *CHRYSIS.*

*Labium* porrectum maxilla multo longius, apice membranaceum. *Antennae* filiformes.

### * 290. C. Rosea.

Capite, thoraceque viridi-caeruleis, abdomine roſeo, pone edentato. *Fn. Etr.* 2. *t.* 8. *f.* 7.

Statura *C. Auratae*. *Geoff. Ins.* 2. 383. 21. ejusdemque fere magnitudinis. Antennae nigrae. Caput, thoraxque viridi-caerulea. Thorax poſtice utrinque dentatus. Abdomen fere hemisphaericum, laeve, totum pallide-roſeum, ſegmentis tribus ſubaequalibus. Anus rotundatus, integer. Tibiae caeruleae. Alae anticae apice fuſcae. In hoc genere, anus dentatus anne ſexum ſtatueret?

Habitat in ſilvis rarior.

### 291. C. Bidentata.

Glabra, nitida, cyanea, thorace bidentato, abdominisque ſegmentis duobus primis aureis. *F. ſp.* 456. 9? *Linn. Syst. Nat.* 947. 2?

*Chryſis* cyanea nitida, abdomine macula magna nigra, alis apice fuſcis. *De Geer Ins.* 2. 2. 837. 2. *t.* 29. *f.* 3. 4.

Mea ſpecimina quae tota caeruleo-viridia, abdomine macula magna ovata nigra, ano edentato, alis apice fuſcis omnino conveniunt cum deſcriptione *De Geeriana l. c.*, differunt tantum tibiis, tarſisque ferrugineis, plantis fuſcis.

Habitat in Pinetis non frequens.

292. C. Fulgida.

Glabra, nitida, thorace, abdominisque primo ſegmento caeruleis, reliquis aureis, ano quadridentato. *F. ſp.* 455. 7. *Linn. Syst. Nat.* 948. 7. *Fn. Sv.* 1669.
*Geoff. Ins.* 2. 382. 20.
*Schrank. E. I.* 783.

Statura, ac magnitudo *C. Ignitae* a qua tantum differt primo, et interdum ſecundo abdominis ſegmento caeruleis.

Habitat in muris, et lignis non frequens.

* 293. C. Micans.

Glabra nitida, capite, thoraceque profunde cyaneis, abdomine viridi-aureo, ano ſexdentato.

Paullo major *C. Ignita*. Antennae nigrae. Caput cyaneum fronte ſub antennis certo ſitu albo-pubeſcente. Thorax profunde cyaneus, poſtice utrinque dentatus. Abdomen viridi-aureum nitidum, punctatiſsimum apice concolori, dentibus ſex manifeſtis inſtructo. Pedes virides. Alae anticae fuſcae, ad apicem internum hyalinae. Differt a *C. Smaragdula* magnitudine paullo minori, colore thoracis caeruleo, abdomine magis aureo, apice concolore, alis non omnino fuſcis. A *C. Ignita* differt magnitudine majori, colore abdominis non aureo-ignito, ſed viridi-aureo, minusque vivido, ano ſexdentato.

Lecta ſaepius in floribus.

* 294. C. Edentula.

Viridis glabra, thorace, abdomineque aureis, ano laete cyaneo, antennis ſubtus ferrugineis.

Statura, et magnitudo praecedentis. Antennae ſupra nigrae, ſubtus ferrugineae primis articulis nigris. Caput viride. Thorax ſupra aeneo-aureus nitidus, punctulatus; ſubtus viridis, poſtice inermis. Abdomen aeneo-aureum, nitidum, tertio ſegmento, anoque cyaneo-viridibus. Anus veluti obtruncatus, edentatus. Pedes virides. Alae ſubobſcurae. Aliud ſpecimen habeo huic valde affine, thorace, abdomineque

aureo-nitidis, quod differt magnitudine paullo minori; antennis nigris, ſubtus fuſcis; thorace bidentato; colore capitis, corporisque ſubtus cyaneis; ano magis integro, ſubdentato, forte alter ſexus?
Ruri inveni.

295. C. Integra.

Glabra, viridis nitida, abdomine aureo basi, apiceque viridi, ano integro. *F. Mant.* 283. 11.
Statura, et ſumma affinitas *C. Ignitae*. Caput, et thorax viridia nitida immaculata. Abdomen aureum primo ſegmento parum viridi. Anus integer viridis. Abdomen ſubtus viride. F.
Habitat in plantis non rara.

296. C. Aurata.

Glabra nitens, thorace viridi, abdomine aureo, ano bidentato. *F. ſp.* 456, 13. *Linn. Syst. Nat.* 948. 4. *Fn. Sv.* 1666.
Corpus parvum magnitudine *C. Succinctae*, caeruleo-viride, abdomine laevi, aurato fulgidiſsimo. Thorax poſtice dentatus. Alae apice fuſcae. A nonnullis confuſa cum *Veſpa thorace viridi-caeruleo, abdomine aurato cupreo, pone inermi. Geoff. Ins.* 2. 383. 21. quae valde major est, et varietas videtur (uti ſuſpicatur ipſe *Geoffroy*) *C. Ignitae*: fortaſse alter ſexus?
Habitat in plantis parieti innixis.

## CXXII. *LEUCOSPIS*.

*Palpi* quatuor aequales, breves. *Labium* maxilla longius, emarginatum. *Antennae* clavatae.

297. L. Dorsigera.

Abdomine sessili nigro, faſciis duabus, punctoque flavis. *F. Mant.* 284. 1.

*Sphex Dorsigera. Sulz. Hist. Ins. t.* 27. *f.* 11.
*L. Coelogaster. Schrank. der. Berl. Naturf.* 1. 14. 308. *t.* 8. *f.* 4. 5. *et* 2. *p.* 307. *Coelogaster.*
*Villers Ent.* 3. 260. 1. *t.* 8. *f.* 17.
*Fn. Etr.* 2. 80. 856.
Habitat in hortis, frequens in floribus Paſtinacae, Lavandulae Spicae, aliisque.

### 298. L. Gallica.

Nigra, thorace punctis duobus flavis. *Villers Ent.* 3. 261. 2. *t.* 8 *f.* 18. *quem confer.*
*Cynips* nigra maculis luteis notata, femoribus poſticis globoſis margine interiori dentatis, aculeo triplici ſuper abdomen recurvato. *D. de la Tourrette Acad. des Sciences Tom. IX. Savans étrangers p.* 730.
Haec conſtanter apud nos differt a praecedente magnitudine fere triplo majori, antennarum articulo ſecundo rufo, capitis vertice utrinque flavo punctato, thorace punctis duobus mediis ſubcontiguis flavis, femorumque poſticorum macula nigra exteriore aliter picta. Macula ſcutellaris in hac ſemper cordiformis, in praecedente non ſemper; caetera ſimilia.
Plures habui, ſemper in ſilvis inventas, numquam in hortis. An mera varietas, an ſpecies? mihi nunc ſpecies.
Habitat Piſis.

## CXXIV. *VESPA.*

*Labium* porrectum maxilla longius emarginatum, utrinque ſeta inſtructum. *Antennae* extrorſum craſsiores.

### 299. V. Conica.

Ferruginea nigro maculata, abdominis ſegmento ſecundo faſcia atra. *F. Mant.* 293. 69.
*V. Coangustata. Fn. Etr.* 2. 84. 863. *t.* 4. *f.* 10. quae *V. Conicae* varietas profecto eſt: Differt tantum antennis nigris articulo primo antice flavo; in *V. Conica F.* frons,

antennaeque totae flavae; petiolus abdominis in hac, faſcia, in *V. Coangustata* linea longitudinali nigra notatus.
Habitat etiam in hortis flores adiens, non obvia.

### 300. V. Bipunctata.

Thorace maculato, abdomine faſciis quatuor, punctisque duobus primi ſegmenti flavis. *Fab. ſp.* 465. 44.
Media. Antennae nigrae primo articulo ſubtus flavo. Caput nigrum maxillis, ſtriga, orbitaque oculorum flavis. Thorax niger ſtriga antica, puncto ſub alis, ſcutelloque flavis. Abdomen atrum nitidum, primo ſegmento utrinque puncto, reliquis faſcia flavis. Pedes flavi femoribus basi nigris. F.
*V. Bipunctata Fn. Etr.* 875. omnino diverſa: Nomen permutandum ne confundatur.
Habitat ruri.

## CXXV. *Crabro.*

*Palpi* quatuor articulis compreſsis rhomboidalibus. *Labium* breve corneum apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

### 301. C. Flavipes.

*Long.* 5. l.

Niger, thorace maculato, abdomine flavo, ſegmentorum marginibus anoque nigris. *F. ſp.* 470. 6.
Antennae breves nigrae. Oculi glauci. Labium flavum. Thorax niger, glaber, margine antico elevato interrupto tenuiſsime flavo punctis ſub alis, poſticeque lineolis duabus approximatis, fere contiguis (quarum prima latior) usque ad alarum inſertionem productis, flavis. Abdomen flavum basi excavata, ſegmentis prominulis margine nigris, ultimoque toto atro. Anus interdum dentatus dente bifurcato. Pedes flavi femoribus basi nigro maculatis, anticis paullo craſsioribus. Alae hyalinae coſta flava. Linea antica thoracis in nonnullis deest.
Habitat in ſilvestribus rarus.

### * 302. C. Affinis.

Niger, thorace maculato, abdominis ſegmentis flavis, baſi nigris, ſecundo, et tertio ſpatium in medio dorsi circulare nigrum conſtituentibus.

Statura, ac habitus *C. Fimbriati. Fn. Etr.* 2. 93. 887. a quo differt magnitudine majori, alis apice obſcurioribus, colore flavo aliter diſtributo, at facies eadem. Antennae ſupra nigrae, ſubtus ferrugineo flaveſcentes. Caput nigrum fronte ſub antennis tota flava. *Crabro* hic, ut diximus in *Fn. Etruſca* quam l. c. confer, adeo variare videtur diſtributione coloris flavi, ut impoſsibile pene ſit ſpecies fortaſse diſtinctas pro varietatibus non aſsumere. In omnibus corpus conſpicue punctulatum, et petiolus, ſeu primum abdominis ſegmentum reliquis anguſtius.

Habitat ruri media aeſtate ſat frequens.

### * 303. C. Vespoides.

Niger thorace maculato, abdomine faſciis quinque flavis interruptis, ore, pedibus, antennisque flavis.

*B? Vespoides. Fn. Etr.* 2. 82. 859.

Proximus *C. Flavipedi* F. at mihi diversus praeſertim magnitudine dimidio majori, antennis fulvis, thorace poſtice immaculato, et vix interdum lineola ſcutellari flava notato.

Habitat in silvis.

### * 304. C. Lunulatus.

Niger thorace maculato, abdomine faſciis quinque flavis, tertia, et quarta in medio attenuatis.

Magnitudo *C. Fimbriati*, cui affinis. Caput nigrum, ore, punctoque pone oculos flavis. Antennae nigrae ſubtus ferrugineae. Thorax niger punctis duobus anticis, ſcutello linea, punctoque utrinque majuſculo ad latera poſtica flavis. Abdomen nigrum faſciis quinque late flavis, ſecunda puncto in

S

medio dorſi nigro non ſemper praeſente, tertia, et quarta ibidem attenuatis, et modo punctum, modo lunulas nigras efficientibus. Anus niger. Pedes toti ferrugineo-flavi. Alae fuſceſcentes.

### * 305. C. Androgynus.

*Long.* 6. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. l. vix.

Niger, cinereo-pilosus, capite thorace majori, abdomine flavo, primis ſegmentis triangulo nigro dorſali.

Caput magnum nigrum cinereo-piloſum, macula oris flava inter antennas producta tridentata. Antennae nigrae. Thorax niger cinereo-piloſus, capite anguſtior, linea antica, et poſtica flavis. Abdomen ovatum, latitudine thoracis, flavum; primo, et ſecundo ſegmento ſemper triangulo nigro dorſali, interdum etiam reliquis, picto. Pedes flavi femoribus basi nigris. Alae hyalinae nervis flaveſcentibus. Triangulorum basis reſpicit caput. Variare videtur magnitudine duplo minori.

Habitat in floribus umbellatis rarior.

### * 306. C. Albofasciatus.

Niger punctulatus, ſcutello laevi nitido, abdomine faſciis quatuor albidis in medio attenuatis, ſubinterruptis.

Medius. Corpus ſubobſcurum, totum punctulis elevatis fere ſcabrum. Antennae nigrae. Caput nigrum orbita antica, punctoque pone oculos albidis. Maxillae basi albidae, apice nigrae. Thorax niger antice puncto utrinque diſtanti, calloque alarum albidis; poſtice immaculatus ſcutello laevi nitido. Abdomen nigrum ſegmento primo anguſtiori coarctato puncto laterali baſeos albido; 2. 3. 4. 5. faſciis albidis in medio attenuatis ſubinterruptis. Anus niger. Pedes ferruginei. Alae anticae flaveſcentes apice obſcuriores.

Occurrit in floribus.

### * 307. C. Quinquefasciatus.

Niger villoſulus, thorace maculato, abdomine faſciis quinque flavis, prima, et ſecunda interruptis.

Statura praecedentis, cui proximus, at paullo minor. Antennae ſupra nigrae, ſubtus ferrugineae. Caput nigrum cinereo–villoſum, labio, orbita antica, punctoque pone oculos flavis. Thorax niger cinereo–villoſus, puncto antico utrinque, callo alarum, lineolaque ſcutelli loco flavis. Abdomen nigrum primo ſegmento coarctato, faſcia ſeu potius macula utrinque ſubcontigua flava; 2. 3. 4. et 5. faſciis flavis in medio attenuatis, neque ſubtus continuatis faſciaque ſecundi ſegmenti late interrupta. Anus niger. Pedes ferrugineo-flavi. Alae flaveſcentes apice fuſcae. Variare videtur punctis frontis coalitis, ſeu fronte flava, punctoque loco faſciae primi ſegmenti abdominis minutiſsimo.

Ruri degit ſat frequens.

### 308. C. Spinosus.

Niger thorace poſtice bidentato, abdomine faſciis tribus flavis. *F. ſp.* 469. 2.

Medius. Caput, et antennae nigrae ore argenteo. Thorax niger lineola antica flava, poſtice utrinque dente valido armatus, ſubtus argenteo pubeſcens. Abdomen nigrum laeve nitidum faſciis tribus flavis. Pedes nigri femorum geniculis, tarſisque ſubferrugineis. Alae fuſceſcentes.

Habitat in ſilveſtribus rarior.

## CXXVII. *APIS.*

*Os* lingua inflexa quinquefida. *Palpi* breviſsimi. *Antennae* filiformes.

### 309. A. Pascuorum.

*Long.* 7. l. *Lat.* 4. l.

Rufa, antennis, pedibusque nigris. *Scop. Ent. Carn.* 819.

*Apis* quae ab Europa Boreali mihi pervenit ſub nomine *A. Agrorum Fab.* sane huic valde affinis. Magnitudo *A. Hortorum*. Totum corpus superne pilis luteo-rufis longis, denſisque; inſerne nigris hirtum. Tibiae poſticae latae, compreſsae, lateraliter glabrae nitidae. Antennae nigrae. Alae ad apicem fuſceſcentes. Variat magnitudine minori. *A. Rufa Schrank. E. I.* 803. foret ne huc referenda?
Habitat ruri, et in hortis obvia.

310. A. Bicornis.

Fronte bicorni, capite nigro, abdomine hirſuto rufo. *F. ſp.* 483. 52. *Linn. Syst Nat.* 954. 10. *Fn. Sv.* 1691.
*Villers Ent. t.* 3. 288. 9. *t.* 8. *f.* 23. An *A. Rufae* faemina? Copula connexas vidit *P. Forskaehl*.
Omnino diſtincta ab *A. Cornigera. Fn. Etr.* 925.
Habitat apud nos rarior.

311. A. Pilipes.

Griſea, pedibus intermediis faſciculato piloſis. *F. ſp.* 484. 34.
*Apis Plumipes. Pall. Spicil. Zool. fasc.* 9. 24. *t.* 1. *f.* 14.
*Apis Plumipes. Schrank. E. I.* 804.
*Apis Pilipes. Fn. Etr.* 2. 102. 910.
Habitat ineunte vere paſsim, Pomonae flores in hortis frequentans. Sub veſperum quaeritat apta parietum foramina ibique pernoctat.

* 312. A. Aemula.

Hirſuta atra, ano albo, tarſis ſubrufis.
An *A. Soroeensis F. ſp.* 476. 9. varietas? cum qua omnino convenit, magnitudine excepta majore, anoque villo magis albicante, in *A. Soroeense Schaeff. Ic. t.* 251. *f.* 6. enim paullulum ad ferrugineum vergit.
Vix minor *A. Lapidaria*. Tota atra, hirſuta, ſolo ano albo. Tarsi ſubrufi.
Lecta in silvis.

* 313. A. Palmipes.

Hirſuta nigra, oculis glaucis, thorace, abdominisque baſi fulvis, tibiis intermediis, compreſso-dilatatis, hirſutis, atris.

Statura, et magnitudo omnino *A. Bicornis*. Antennae nigrae thorace breviores, articulo primo ſubtus flavo. Caput fronte hirſuta fulva, labio tumido flavo, lineola media nigra tranſversa notato. Oculi glauci. Thorax hirſutia fulva densa contectus. Primum, et ſecundum abdominis ſegmentum fulva, reliqua quatuor pilis nigris hiſpida; ſubtus totum nigrum. Pectus flaveſcens. Femora, ac tibiae nigrae pilis albidis ciliatae, juncturis, tarſisque albicantibus, nigro ungulatis. Tibiae intermediae compreſso-dilatatae, patelliformes, patella rotunda pilis denſis atris inſtructa, albido-ciliata. Femora primi, et ſecundi paris apice unispinoſa, poſtica vero bispinosa. Alae hyalinae nervis fuſceſcentibus. Ab *A. Pilipede* omnino diverſa etiam palmulis tibiarum majoribus, tomento aterrimo denſo veluti intextis, pilisque longis rarioribus deſtitutis.

Quamvis non facile ſit judicium de *Apibus* hirſutia rufa, aut fulva veſtitis, ob multiplicem earum ſpecierum copiam, ac negligentiam auctorum in differentiis adnotandis, tamen cum haec noſtra notis gaudeat pene ſingularibus, nulla poteſt dubitatio exoriri de ejus novitate.

Habitat ruri. Lecta m. April.

314. A. Regalis.

*Long.* 6. l. *Lat.* 2. $\frac{2}{3}$ l.

Nigra, thoracis abdominisque basi flavis, ano fulvo. *Geoff. Ins.* 2. 417. 23. *et Var. N. B.*

*A. Regalis. Ent. Paris.* 2. 449. 24.

An *A. Arbustorum* varietas. *F. ſp.* 477. 16?

*A. Terrestri* ſimilis, ſed minor. Frons, thoracis, abdominisque baſis, in meis ſpeciminibus, ſulphureo-flava. Medium abdominis nigrum. Anus rufus. Quamvis deſcriptio *Raj. Ins. p.* 247. 10. *a Geoffroy* in synonymia *A. Arbustorum*. *Ins.*

2. 417. 22. allata, huic omnino competere videatur, cum a vera *A. Arbuſtorum* e Svecia mihi transmiſsa, differat magnitudine paullo majore, et abdominis basi flava, ad eam tuto referre haec nostra minime placuit.

Habitat ruri non frequens.

### 315. A. Subterranea.

Hirsuta, atra, ano fusco. *F. ſp.* 26. *Linn. Syst. Nat.* 951. 51. *Fn. Sv.* 1718.
*Geoff. Ins.* 2. 416. 20.
*Raj. Ins.* 246. 1.

Statura *A. Violaceae*, at minor. Tota hirsuta atra ſolo apice abdominis minus nigro, et pilis quibusdam circa collum ſulphureis. Alae atrae.

Habitat ſub terra.

### * 316. A. Albopunctata.

Nigra ſubhirsuta, abdomine atro, ſegmentis primis quatuor utrinque albo-punctatis, alis violaceis.

Statura *A. Centuncularis*, at major. Caput antennaeque nigrae, breves. Collum paullulum elongatum. Thorax niger ſubhirſutus. Abdomen nigrum breve magnitudine thoracis, basi magis hirtum, apice fere glabrum, quatuor primis ſegmentis utrinque albo-punctatis, punctis magnitudine decreſcentibus: ſubtus obſcurum. Pedes nigri ſubhirſuti, plantis ſubrufis. Alae praeſertim anticae totae violaceae. Differt ab *A. Luctuosa Scop. et Schrank.* statura, magnitudine, hirſutia minori, capite thorace pedibus omnino nigris. Ab *A. Punctata F.* magis etiam differt.

Capta in herbidis ſilveſtribus.

### * 317. A. Varians.

Mar. *Long.* 6. $\frac{1}{2}$ l. *Lat.* 2. $\frac{1}{4}$ l. Fem. *Long.* 8. l. *Lat.* 3. l. vix.

Nigra, thorace abdominisque basi ſuperne hirſuto fulvis, *mas*: *femina* tota nigra alis atro violaceis.

Nigra, thorace, abdominisque basi ſuperne lana rufa. *Geoff. Inſ.* 2. 409. 4. *L' Abeille maconne à poils roux*. Mas.

*A. Bryorum*, nigra, thorace, abdominisque basi hirſuto-fulvis. *Schrank. E. I.* 812. Mas.

*Deſcr. Maſc.* Caput nigrum labio, ac fronte hirſutia flava albicantibus. Maxillae, oculi, antennaeque nigrae. Thorax ſupra pilis rufis denſis, ſubtus flavo-albidis hirtus. Abdomen inferne totum nigrum, ſuperne primis tribus ſegmentis pilis rarioribus rufis; reliquis tribus nigris hiſpidis. Pedes nigri femoribus anticis flavo-albidis hirtis, tibiis, tarſisque minus rufo-piloſis. Alae hyalinae ad apicem fuſceſcentes. Ultimum abdominis ſegmentum apice nonnihil ſubincurvato, et ſpinis duris brevibus ſerrulato. Anus aculeo deſtitutus.

*Deſcr. Fem.* Maſculo dimidio major. Colore corporis *A. Violaceae* adeo ſimilis, ut jam antea ſaepius lecta in floribus, incertus diu, multumque fuerim de *A. Violacea* juniori, recensque exclusa: at revera magnitudo minor, ſtatura oblongior, mandibulae porrectae, neque uti in *A. Violacea* incurvatae, pedes minus villosi, et alae magis atro-violaceae breviores. Tota atra hirſuta praeter maxillarum apicem, digitosque ferrugineo-piloſos. Alae atro-violaceae. Anus non uti in mare incurvatus, et aculeo valido armatus.

*Rheaumurius*, *Geoffroy*, aliique aſserunt nidificare in muris Soli meridiano expoſitis: Mihi domi exclusae e nido pyriformi, duriſsimo, magnitudine ovi Gallinacei, compoſito ex arena minutiſsima, agglutinata circum caulem ſuffruticoſum prope terram, et cellulas 10., aut 11. inordinate diſpoſitas continente, e quibus ſub finem Aprilis domicilio communi dentibus ſtrenue perforato prodierunt omnes, ſcilicet novem masculi, duaeque tantum feminae, quae ultimae ſe declararunt. Labor perforandi nidum improbus, aſsiduus, fere triduanus. Ad haec, quid novi ulterius in hoc nido mihi obſervare contigerit, jam dictum *p.* 94. *n.* 210.

### * 318. A. Obsoleta.

Nigra, cinereo-pubeſcens, abdomine antice teſtaceo, poſtice nigro, ſegmentorum apicibus cinereo-lucidis.

Proxima *And. Etruscae*, ejusdemque fere magnitudinis. Caput nigrum pubeſcens, fronte, ac orbita oculorum poſtica cinereo lucidis. Antennae obſcure-nigrae convolutae. Thorax niger obſcure-cinereus pubeſcens. Abdomen fere glabrum, ovatum magnitudine thoracis, primis duobus ſegmentis teſtaceis, reliquis nigris, et ad apicem cinereo-lucidis. Femora nigra. Tibiae, tarſique teſtacei. Alae flaveſcentes.
Habitat in ſilvis.

### 319. A. Leucozonia.

Nigra, abdominis ſegmentis basi albis. *Schrank. E. I.* 819.
Tota nigra piloſa, non hirſuta. Abdomen nitidum conſtat ſegmentis quinque, quorum tria intermedia basi albiſsima candore orto ex pilis albis denſis decumbentibus. Pedes rufeſcente villo pubeſcunt. *Schr. l. c.* Haec nostra nisi eadem, huic valde proxima.
Occurrit in floribus.

### 320. A. Albipes.

Fuſca, abdominis medio rufo, tibiis albis. *F. ſp.* 486. 78.
Statura parva omnino *A. Annulatae*. Caput, et thorax fuſca, parum pubeſcentia. Abdominis ſegmentum ſecundum apice, tertium totum, quartumque basi rufum. Pedes nigri tibiis albis macula baſeos fusca. Variat interdum ſegmento ſecundo, tertioque rufis, macula media nigra. F. Corpus oblongum.
Habitat in floribus.

### * 321. A. Subaurata.

Subaurata pubescens, tibiis, tarſisque ferrugineo-flavis.
Parva. Tota ſubaurata pubeſcens, gibba. Antennae breves, fere in medio infractae, nigrae. Abdomen ſubauratum ſegmentorum marginibus albicantibus, ſeu minus nitidis. Femora divaricata nigra. Tibiae, tarſique villosuli ferrugineo-flaveſcentes. Alae albo-hyalinae. Dantur aliae ſtatura, ac magnitudine fere *And. Aeneae*, villoſulae, aureo nitidiores, capite majori, antennis longioribus basi infractis pedibus nigris. An varietas *And. Aeneae*?
Habitat in floribus non rara.

322. A. Linguaria?

Antennis nigris, longitudine corporis, thorace cinereo abdomine nigro. *F. ſp.* 487. 82.
Statura *A. Longicornis*, et vix minor. Antennae nigrae longitudine corporis. Caput nigrum ore paullulum cinereo-tomentoſo. Thorax lateribus, ac inferius praeſertim hirſutia tectus. Abdomen nigrum ſubrotundum, glabriuſculum. Pedes cinereo-hirſuti. Labium in meo ſpecimine nigrum, et lingua ne deſtrueretur Inſectum, non ſatis examinata.
Inveni in horto.

* 323. A. Cucurbitina.

Nigra nitida, labio puncto flaveſcente, abdomine obtuſo, apice latiori.
Parva. Tota nigra nitida, glabra. Antennae breves. Tibiae cinereo piloſae. Alae albae puncto parvo nigro marginali.
Habitat in floribus.

## CXXVIIII. *NOMADA*.

*Os* lingua inflexa trifida. *Palpi* quatuor inaequales: *poſtici* linguaeformes articulo secundo longissimo.
*Antennae* filiformes.

324. N. Fabriciana.

Nigra, abdomine glabro ferrugineo, maculis duabus flavis. *F. ſp.* 488. 5.
*Apis Fabriciana. Linn. Syst. Nat.* 955. 17.
Statura *N. Ruficornis*, at minor. Alae fuſcae lunula media apicis alba. Variat abdomine rufo immaculato.
Adit flores in ſilvis non frequens.

325. N. Gibba.

Nigra, abdomine rufo, apice nigro. *F. ſp.* 488. 6.
*Nomada Succincta. Scop. Ann. Hist. Nat.* IV. 45. 2.
Abdomen ellipticum basi rufum. Nervi alarum rufi.
Saepius lecta in floribus.

### 326. N. Cingulata.

Cinereo-villoſa, abdomine glabro, nigro, ſegmento secundo, tertioque ferrugineis. *F. ſp.* 488. 8.
Statura praecedentis. Alae albae.
Habitat in ſilvis.

### * 327. N. Cincta.

Nigra, abdominis ſegmentis basi flavis apice nigris.
Statura, ac magnitudo *N. Fabricianae*. Antennae luteae interdum fulvae articulo primo ſubtus flavo. Caput nigrum pubeſcens ore, maxillis, linguaque flavis. Palpi nigri albo annulati. Thorax niger pubeſcens, nunc linea, nunc punctis duobus anticis, puncto ante, et ſub alis, binisque loco ſcutelli flavis. Interdum etiam latera poſtica flavo-punctata. Abdomen nigrum glabrum ſegmentis omnibus basi tam superius, quam inferius faſcia flava cinctis. Pedes flavi femorum basi nigra. Alae ferrugineae. Faſciae abdominis in medio paullulum attenuatae.
Raro lecta in ſilvis.

### * 328. N. Pusilla.

*Long.* 2. l. vix.

Pubescens, abdomine glabro nigro quadrimaculato.
Statura praecedentis, at duplo minor. Caput nigrum vix albo-pubeſcens labio margine flavo. Antennae porrectae longiuſculae ſupra nigrae, ſubtus ferrugineae articulo primo nigro. Thorax niger pubeſcens puncto unico flavo utrinque ante alas. Abdomen ſupra nigrum, glabrum, et in medio dorsi maculis quatuor flavis oblongis transversis notatum, ſeu fasciis duabus interruptis approximatis cinctum: ſubtus immaculatum fuſcum. Pedes flavi femoribus exterius nigris. Alae abdomine longiores, hyalinae, puncto marginali nervisque nigris.
Occurrit in ſilvestribus rarior.

## CXXIX. *FORMICA.*

*Palpi* quatuor inaequales articulis cylindricis. *Labium* ſubmembranaceum, cylindricum, apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

### 329. F. Fusca.

Nigra, ore, thoracis apice, pedibusque ferrugineis. *F. ſp.* 490. 9.
*Formica Fusca* cinereo-fusca, tibiis pallidis. *Linn. Syst. Nat.* 963. 4. *Fn. Sv.* 1722. *Geoff. Ins.* 2. 428. 5.
*Formica* nigra nitida ſquama petiolari. *De Geer Ins.* 2. 2. 1082. *t.* 42. *f.* 12.
*Schrank. E. I.* 833.
In ejus acervis habitat *Cet. Aurata* ante declarationem. *Schrank.*
Habitat in terra arenoſa.

### 330. F. Flavipes.

Nigra, antennis, pedibusque flavis. *Vill. Ent.* 3. 337. 10. *t.* 8. *f.* 31.
Nigra. Alae albae breviores quam in *F. Fusca*: Pedes lutei, at antennae in noſtris vix flaveſcentes.
Habitat etiam in hortis.

## CXXX. *MUTILLA.*

*Palpi* quatuor articulis obconicis. *Labium* porrectum, corneum, obconicum apice palpigerum. *Antennae* filiformes.

### * 331. M. Coronata.

*Long.* 4. $\frac{1}{4}$ l. *Lat.* 1. l.

Hirta atra, fronte albo maculata, thorace tibiisque rufis, abdomine puncto fasciisque duabus approximatis albis.
Eadem quam dedimus ſuppreſso nomine una cum *M. Rufipede* in *Fn. Etr.* 2. 115. 941.
Differt a *M. Rufipede*, magnitudine triplo majori, fronte albo maculata, antennis fuſco rufis, faſcia antica in medio caput verſus protenſa angulata, abdominis ſegmentis omnibus ſubtus albo villo ciliatis.
Habitat Pisis obvia in ſilvestribus arenosis.

### * 332. M. Stridula.

*Long.* 6. l.

Hirta nigra, abdomine basi rufo, apice nigro, ſegmentis duobus pilis albis ciliato. Alata.

*T? Stridula. Fn. Etr.* 2. 68. 830. *t.* 6. *f.* 2.

Habitat in ſilvis frequens.

### * 333. M. Ephippium.

*Long.* 4. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Hirta nigra, thorace antice rufo, poſtice nigro, abdominis ſegmentis tenuiſsime albo ciliatis.

Statura praecedentis, at dimidio minor. Caput nigrum piloſum. Antennae nigrae. Thorax piloſus antice rufus, poſtice niger, ſubtus totus niger. Abdomen nigrum hirtum, ſegmentis omnibus albo-ciliatis. Pedes nigri albo-piloſi. Alae apice fuſceſcentes.

Variat colore rufo thoracis nunc magis, nunc minus ſupra dorſum poſtice extenſo, et abdominis apice modo incurvato, acutiuſculo, modo magis obtuſo, uti etiam magnitudine minori.

Habitat in campis sabulosis Pisanis rarior.

### * 334. M. Nigra.

*Long.* 4. l. *Lat.* $\frac{2}{3}$ l.

Hirta, tota nigra.

Statura, ac magnitudo praecedentis, praeſertim varietatis *abdominis apice obtuso* indicatae. Corpus totum nigrum, pilis albis ſubhirtum, capite, thoraceque punctulatis, fere ſcabris. Oculi majuſculi. Alae apice obſcuriores, puncto nigro marginali.

Rariſsime lecta in iisdem locis.

# MANTISSA
# INSECTORUM
## EXHIBENS SPECIES NUPER IN ETRURIA
## COLLECTAS

A

## PETRO ROSSIO

ADIECTIS FAUNAE ETRUSCAE ILLUSTRATIONIBUS,
AC EMENDATIONIBUS

TOM. II.

PISIS
ÆX TYPOGRAPHÌA PROSPERI
*PRAESIDUM FACULTATE*
MDCCXCIV.

# CLASSIS QUINTA.

## UNOGATA.

---

### CXLIII. *TROMBIDIUM.*

*Palpi* incurvi apice acutissimi, os tegentes. *Labium* concavum maxillas recipiens.

* 335. T. Trimaculatum.

Abdomine nigro depresso, tomentoso: maculis tribus aequalibus albis.

Statura, & magnitudo fere T. *Holosericei*. Os palpiq. fulvi. Abdomen nigrum depressum tomentosum macula laterali ad basin utrinq. notatum, alteraq. in medio ad apicem albis. Pedes fusci, antice, & subtus fulvi.

Habitat intra corticem, & lignum in arboribus putrescentibus. m. Mart. rarum.

### CXLIIII. *ARANEA.*

*Palpi* incurvi, maris clavati. *Labium* breve, apice rotundatum.

336. A. Viridissima.

Textoria viridis, abdomine oblongo flavescente. *De Geer* 7. 252. 14. *t.* 18. *f.* 6. 16.

*Clerck Aran.* t. 6. s. 4. *Araneus virescens*.

Tota abdomine excepto, viridis; Thoracis latera luteo marginata. Abdomen luteo virescens linea longitudinali viridi, laminaq. squammosa nigra in feminae genitalibus. Oculi pilis albis cincti transverse positi duas lineas formant. Posteriores anterioribus majores. *Villers*. Magnitudo media.

Habitat Florentiae.

337. A. Phalangioides.

Fusco-flavescens, pedibus longis corpore triplo longioribus. *Ent. Par.* 2. 535. 13. *l' Araignée domestique semblable au Faucheur?*

Species indicata videtur, at diagnosis manca & descriptione carens dubium relinquit.

Est inter maximas. Tota griseo-fusca unicolor. Palpi pediformes. Oculi in duas lineas dispositi. Thorax antice elongatus, postice rotundus planus abdomine major. Pedes corpore triplo longiores, subaequales villosi.

Habitat in domibus.

338. A. Catesbaei.

Tota cinerea pubescens, thoracis dorso fusco, abdomine ovato fusco, lineis dorsalibus binis longitudinalibus albis. *Scop. Carn.* 1109.

*Vill. Ent.* 4. 112. 65.

Statura ac magnit. *A. Sloanii.* Palpi aequales. Abdomen subtus sordide flavum. Papillarum regio nigra. Oculorum situs uti in A. Sloanii. Saltatoria.

Habitat passim in muris & saxis hortorum.

* 339. A. 4-punctata.

Abdominis dorso plano nigro, punctis excavatis quatuor; anticis majoribus.

Magnitudo praeced. Nigra nitida. Pedes ferrugineo-fusci.

Habitat in arborum truncis.

* 340. A. Litterata.

Abdomine ovato, atra glabra, pedibus quatuor posticis rufis.

Parva, & linea numquam visa major.

Habitat inter libros, & utensilia domestica (*a*).

---

(*a*) Aranearum species heic tantum paucas adiunximus, nam copiosissimum hoc genus singulariter pertractare est animus.

## CXLV. *PHALANGIUM*.

*Palpi* porrecti incurvi. *Maxilla* superior chelifera.

341. P. Opilio.

Abdomine ovato griseo, subtus albo. *F. Sp.* 547. 2. *Linn. Syst. Nat.* 1027. 2. *Fn. Sv.* 1992. *Scop. Carn.* 1122.

*Phalangium Parietinum* corpore ovato supra griseo-fusco, subtus albido. *De Geer Ins.* 7. 166. 1. *t.* 10. *f.* 1.
*Geoff. Ins.* 2. 629. *t.* 20. *f.* 6.
*Schrank. E. I.* 1088. *Faun. Fridr. n.* 823.
*Mouff. Ins.* 234. *f.* 4. *Aldr. Ins.* 602. *f.* 4.
*Goed. Ins.* 2. *t.* 49. *List. Goed. f.* 143.
*Hoeffn. Ins.* 2. *t.* 9. *Raj. Ins.* 39. *n.* 35.
*Bradl. Nat. t.* 24. *f.* 2. *Clerck. Aran. t.* 6. *f.* 10. 3.
*Sulz. Ins. t.* 22. *f.* 140. *Hook Microg. p.* 198. *t.* 31.
*Villers. Ent.* 4. 80. 2.

Mas minor femina. Oculi duo in capitis vertice fere contigui. Palpi 2. longiusculi apice pallidi. Abdomen subtus albidum supra griseo fuscum striga interdum postica alba. Pedes longissimi geniculis quasi duplicatis tibiisq. crassioribus angulosis.

Habitat in muris hortorum.

# CLASSIS SEXTA.

## GLOSSATA.

---

## CXLII. *PAPILIO.*

*Palpi* duo reflexi. *Lingua* spiralis exserta. *Antennae* clavatae.

342. P. Cleopatra.

P. D. C. alis integerrimis angulatis flavis, anticis supra disco fulvo, reliquis puncto ferrugineo. *F. Sp.* 52. 225. *Linn. Syst. Nat.* 765. 105.

*Mull. Syst. Nat. t.* 5. *p.* 594.
*Villers Ent. t.* 2. 15. 17.
*Fn. Etr.* 2. 145. 999.
*Cyrill. Fn. Neap. specim t.* 3. *f.* 2. male colorata. Discus alarum anticarum nimis obscure fulvus.

P. *Cleopatra*, & P. *Rhamni* aut una eademq. species est quae in masculis variat alis primoribus disco fulvo, aut femina P. *Cleopatrae* adeo omnino similis feminae P. *Rhamni*, ut impossibile sit absq. larvae cognitione, frustra hactenus a me quaesita, dubium resolvere. Saepe capti plures P. *Cleopatra*, semperq. mares inventi, illosq. non vera copula junctos, sed saepissime praeludia Veneris cum ea quae alis pallidioribus habetur pro femina P. *Rhamni* instituentes vidi, cum frequens haec occurrat eodem tempore & loco. Ad assumendum tamen pro varietate, non parum obstare videtur ejus defectus in variis Europae locis ubi communis invenitur P. *Rhamni*, quamvis aeris naturam, aliaq. sub calidiore coelo coloris differentiam inducere posse nemo jam dubitet, & plura non desint exempla etiam in aliis speciebus dari varietates tantum proprias, ac peculiares quarumdam Regionum.

Habitat Pisis.

343. P. Phicomone.

P. D. C. alis integerrimis rotundatis flavescentibus, atomisq. nigris, omnibus rubro fimbriatis; superioribus fascia maculari in limbo nigro, inferioribus nigricantibus, limbo flavescenti fusco marginato; supra macula pallida, subtus puncto argenteo. *Vill. Ent. t.* 2. 17. 20.
*Pap. d. Eur. t.* 89. *f.* 112. bis.
An *P. Hyales* varietas?
Habitat Pisis rarior.

344. P. Iris.

P. N. G. alis dentatis utrinq. fascia albida interrupta oculoq. unico. *F. Sp.* 86. 382. *Linn. Syst. Nat.* 775. 161.
*Esp. t.* 71. *f.* 1.
*Ernst. t.* 31. *f.* 62. *a. b. c. le grand mars changeant.*
*Fn. Etr.* 2. 150. 1014.
β. P. *Clythia. W. S. p.* 321.
*Roesel* 3. *t.* 42. *f.* 3. *u.* 4.
*Esper t.* 25. *f.* 4.
*Ernst t.* 32. *f.* 64. *c.* 9. *u. t.* 70. f. 64. h.
*Schaeff. Ic.* t. 152. f. 1. 2.
Lecta pluries in salice sub finem Julii. Larva viridis lineis albis obliquis, capite bicorni. Pupa alba lateribus compressa bicornis. Imago paucis diebus declaratur.
γ. P. *Eos. Le grand Mars Orangé.*
*Ernst. t.* 31. *f.* 63. *a b. u.* t. 69. f. 63. c. d. u. t. 70. f. 36. e.
*Schaef. Ic. t.* 152. f. 3.
Hae tres varietates occurrunt etiam apud nos, sed prior rarissima.
Habitat in Salice, Fraxino.

345. P. Fidia.

P. N. G. alis dentatis supra fuscis: anticis ocellis duobus, punctisq. duobus albis, posticis subtus striga angulata atra. *F. Sp.* 71. 317. *Linn. Syst. Nat.* 770. 138.
Ocelli ad marginem exteriorem, inter quos puncta duo alba.

Alae posticae subtus fusco alboq. variae striga sesquialtera angulata atra.
Habitat in silvis non rar..

346. P. FAUNA.

P. N. G. alis dentatis supra fuscis: anticis ocellis duobus, punctisq. duobus albis, posticis subtus griseis. *F. Mant.* 35. 371.
*Esper. t.* 29. *Supp.* 5. *t.* 63. f. 1.
*Villers. Ent.* 2. 35. 50.
*Pap. d' Eur. t.* 28. 55. *a.*
P. *Fidia* dimidio minor, cui affinis.
Habitat cum praeced. minus frequens.

347. P. MAERA.

P. N. G. alis dentatis fuscis, utrinq. anticis sesquiocello, posticis ocellis supra tribus, subtus sex. *F. Sp.* 71. 319. *Linn. Syst. Nat.* 771. 141. *Fn. Sv.* 1049.
*Schaeff. Ic. t.* 58. f. 2. 3.
Valde affinis P. *Megerae* at distincta.
Habitat in Poa annua. Apud nos rarior P. *Megera*.

348. P. IDA.

P. N. G. alis subdentatis fuscis: disco fulvo: anticis utrinq. ocello nigro bipupillato, posticis subtus griseo-variis. *F. Mant.* 43. 429.
Alis subdentatis, concoloribus fulvis, limbo fusco, primoribus ocello utrinq. bipupillato, posticis subtus fuscis lituris albis. *Vill. Ent.* 2. 39. 70.
*Esper. Pap. tab.* 92. *f.* 2.
Minor P. *Pilosellae*. Discus alarum anticarum fulvus lituris ad marginem interiorem quibusdam nigris.
Habitat in pratis silvestribus frequens.

349. P. AGLAIA.

P. N. P. alis dentatis fulvis, nigro maculatis, subtus maculis 21. argenteis. *F. Sp.* 109. 475. *Linn. Syst. Nat.* 785. 211. *Fn. Sv.* 1065. *Geoff.* 2. 42. 9.

*Roes. Ins.* 4. *t.* 25.
*Esp. pap.* 1. *t.* 17. *f.* 3.
*Schaeff. Icon. t.* 7. *f.* 1. 2.

Habitat in Viola tricolore non frequens.

350. P. Athalia.

P. N. P. alis dentatis fulvis nigro fasciatim maculatis, subtus fasciis tribus flavescentibus immaculatis nigro inductis, divisisq. *Villers. Ent.* 2. 58. 96.
*Pap. d'Eur. t.* 19. *f.* 31. - *t.* 61. *f.* 6. *Varietas.*
*Geoff.* Cinxiae *Varietas*. B.

Habitat Silvas in Lysimachia vulg. non rara.

351. P. Euphrosyne.

P. N. P. alis dentatis fulvis nigro maculatis subtus maculis 9. argenteis. *F. Sp.* 111. 482. *Linn. Syst. Nat.* 786. 214. *Fn. Sv.* 1069. *Geoff. Ins.* 2. 44. *n.*
*Scop. Ent. Carn.* 441.
*De Geer t.* 2. *p.* 197. *t.* 1. *f.* 10. 11.
*Esp. t.* 18. *f.* 3. *t.* 30. *f.* 1. *var.*
*Pap. d' Eur. t.* 16. *f.* 22. *a. b.* 23. *a. b.*

Habitat in Viola montana.

352. P. Boeticus.

P. P. R. alis caudatis coerulescentibus, subtus cinereis, albo-undatis, angulo ani ocello gemino aurato. *F. Sp.* 119. 529. *Linn. Syst. Nat.* 789. 226.
*Geoff. Ins.* 2. 57. 25.
*P. Coluteae Fn. Etr.* 2. 155. 1032.
*Esper. t.* 37. f. 3.
*Pap. d' Eur.* t. 37. f. 76.
*Fuesl. Ins. n.* 594. f. 2.

Larva obesa fuscorubra, striis interruptis obliquis albis, capite fere toto intra primum segmentum retractili. In statu adulto subviridis. Metamorphosin subitura tenui filo se circumligat. Pupa pallida fusco-punctata. Quies 2. haebdomadum.

Habitat in leguminibus Coluteae Vesicariae semina comedens, mens. Septembris praesertim frequentissim..

353. P. Amyntas.

P. P. R. alis caudatis cyaneis margine nigro subtus cinereis. punctis nigris, posticisq. duobus ferrugineis anguli ani. *F. Mant.* 70. 666.

*P. Amyntas Wien. Verz.* 185. 18.

*P. Tiresias. Esp. pap. t.* 49. *f.* 2.

Habitat in pratis silvaticis non frequens.

354. P. Corydon.

P. P. R. alis integris coeruleo argenteis: margine nigro subtus cinereis: punctis ocellaribus, posticis macula centrali alba. *Fab. Mant.* 74. 693.

*P. Corydon. Wien. Verz.* 184. 10.

*P. Corydon. Esp. pap. t.* 33. f. 4.

*P. Corydon. Kleeman. t.* 14. f. 3.

Mas a femina differt.

Habitat silvas.

355. P. Dorylas.

P. P. R. alis integris coeruleis (fuscis) subtus cinereis: anticis puncto medio, strigaq. postica punctorum ocellatorum. *F. Mant.* 75. 695.

*P. Dorylas. Wien. Verz.* 322. 19.

*P. Adonis* affinis, at paullo minor.

Habitat in pratis.

356. P. Cyllarus.

P. P. R. alis integris coeruleis: margine nigro, subtus fusco-cinereis, striga punctorum ocellatorum, posticis basi caeruleis. *F. M.* 72. 685. *Geoff. Ins.* 2. 63. 31.

*P. Damoetas W. V.* 183. 7.

*P. Alexis Pod. M. G.*

*Esper. Pap. t.* 33. *f.* 1. 2.

*Roes. Ins.* 3. *t.* 37. *f.* 4.

Habitat in Astragalo Onobrychide.

357. P. Paniscus.

P. P. V. alis integerrimis divaricatis; posticis utrinq. fuscis fulvo maculatis. *F. Mant.* 85. 767.
*P. Brontes. Wien. Verz.* 160. 6.
*P. Silvius*. β. *Esp. Pap. t.* 80. *f.* 5. 6.
Habitat in silvis non rarus.

## CXLVIII. *SPHINX.*

*Palpi* duo reflexi pilosi. *Lingua* spiralis plerisq. exserta. *Antennae* squammatae.

358. S. Atropos.

S. alis integris, posticis luteis fasciis fuscis, abdomine luteo cingulis nigris. *F. Sp.* 144. 23. *Linn. Syst. Nat.* 199. 9. *Fn. Etr.* 2. 161. 1050.
Veritas si admodum a Natura occultata fuerit, nonnisi pluries repetitis observationibus erui potest. Immortalis Rheaumurius asseruit Sphingem *Atropon* declaratam stridere allidendo palpos ad linguam. Mihi aliter visum in historia quam de hac sphinge dedimus, visumq. deinde comprobandam esse redintegrandamq. ejusdem cl. viri opinionem in *Fauna Etrusca*. Mox autem cum non plane adhuc certus, aliquid subesse in factis periculis haud bene animadversum vererer, rursus ad experimenta me contuli, iisq. diversimode centies variatis, persuasere mihi tandem derivare ab ore, aerisq. expiratione in linguae cavitatibus. In Insecto enim recens declarato cum magis viget, ac stridet, si ad basim lingua amputetur, sonitus non cessat, at fit exilior, & observantur bullulae ab aere expirato productae in extremitatibus abscissis oriri: & si tum in vase aqua redundante sphingis os vix immergatur, stridor illico cessat, qui renovatur statim ac ab aquae contactu removetur, & vicissim toties

auditur, vel non, quoties aut aquae os admovetur, vel ab eadem extrahitur; unde patet sonitum oriri ab aere per linguam immisso, quemadmodum edit fistula inflata, vel alius quicumque tubus cavatus per quem aer spiret. Hic autem sonitus amputata lingua forte non cessat, evaditq. tantum paullo languidior, quod abscissio linguae ad originem imperfecte fit, & aeris intromissio per tubulorum reliquias, & oscula continuatur, uti integra cessatio confirmat cum eadem oscula sebo vel alia pingui materia obturantur. Sonitum vero numquam in statu quietis, at molestiae tantum edere observamus, nam tum fit quasi necessarius anhelitus, & humoris ad os concursus, qui una cum aere ad eum efficiendum idoneum esse plane intelligitur. Ex quibus omnibus concludi posse videtur experimenta jam primum capta, *conf. hist. hujus Sphingis*, *Opusc. di Milano ann.* 1782. hisce nuper a me institutis palam respondere, ideoq. veterem confirmandam esse opinionem quam tunc l. cit. dubitative dedimus; nempe legem Naturae universalem non esse stridorem, & sonitum quemlibet in Insectis caussam semper ab attritu partium repetere, cum Sphinx haec, vera quodammodo voce praedita, regulae, seu potius observationibus hactenus factis exceptionem suppeditet validissimam.

Habitat in Jasmino, aliisq. plantis frequens.

359. S. Lineata.

S. alis virescentibus: fascia striisq. albis, posticis nigris: fascia rubra. *F. Mant.* 96. 37.

*Sphinx Koechlini*. *Arch. Ins. Fyesl. Monog.* c. f. 19.

*Petiv. Gazoph. t.* 12. f. 9.

Habitat in Galio vero sat frequens.

360. S. Galii.

S. alis integris virescentibus: vitta alba, posticis pallidis basi, strigaq. atris, antennis fuscis. *F. Mant.* 95. 36.

*Wien. Verz. p.* 42.

*Esper. Ins. t.* 21.

*De Geer t.* 2. *p.* 236.
*Schaef. Ic. t.* 78. f. 1. 2.
Habitat in Galio vero.

361. S. Porcellus.

S. alis integris, flavo purpureoq. variis, abdomine subtus sanguineo albo punctato. *F. Sp.* 149. 44.
*S. Porcellus* alis integris margine rubris, posticis basi fuscis. *Linn. Syst. Nat.* 801. 18. *Fn. Sv.* 1090.
*Geoff.* 2. 88. 12.
*Roes. Ins.* 1. *phal.* 1. *t.* 5.
*Alb. Ins. t.* 9.
*Esper. t.* 2. *t.* 10.
Habitat in Galio vero. Sub vesperum imago lecta ad flores Iasmini.

362. S. Oenotherae.

S. alis eroso-virescentibus, fascia saturatiore; posticis fulvis apice atris. *F. Mant.* 93. 11. *Sp.* 141. 10.
*Sphinx Oenotherae W. V.* 239. *Tab. tit. praef.*
*Fuesl. magaz.* 2. *t.* 1. *f.* 9. 10.
*Esp. t.* 2. *t.* 20. *Suppl.* 2.-*t.* 26. *cont.* 1. *var.*
*Sphinx Proserpina. Pallas spicil. fasc.* 9. *t.* 2. *f.* 7.
*Goeze* 11. 212. 29.
*Ernst. Ins. d' Eur. t.* 121. *f.* 166. *le Sphinx de l' Epilobe.*
Habitat in Epilobio palustri. Lecta semel in horto sub Julii finem.

## CXLIX. *SESIA.*

*Palpi* duo reflexi. *Lingua* exserta truncata. *Antennae* cylindricae.

363. S. Conopiformis.

S. alis fenestratis apice fulvis, abdomine barbato nigro annulis quatuor flavis. *Villers.* 2. 104. 31.

*Esp. tom.* 2. *t.* 31. *cont* 6.
Habitat in floribus Umbellatis & praesertim Sambuco.

364. S. Ichneumoniformis.

S. alis fenestratis: margine fasciaq. nigris puncto fulvo, abdomine cingulis albis nigrisq. alternis. *F. Mant.* 100. 19.
*Sph. Ichneumoniformis Wien. Verz.* 44. 7.
Antennae in nostris basi luteae apice nigrae.
Habitat in silvestribus rarior.

* 365. S. Asselliformis.

S. alis tectis, fusco-grisea lucida unicolor.
Magnitudo Muscae domesticae. Statura gibba. Caput parvum collari tenuissimo albicante. Corpus crassiusculum. Antennae vix pectinatae. Etsi *Sesiae* admodum variationi subiectae, cum haec habeat alas omnes tectas, species indescricta videtur.
Habitat in silvestribus.

## CL. *ZYGAENA.*

*Palpi* reflexi. *Lingua* exserta setacea. *Antennae* saepius medio crassiores.

366. Z. Ephialtes.

Z. cyanea alis anticis punctis sex rubris, posticis unico, abdomine cingulo rubro. *F. Sp.* 158. 5.
*Sphinx Ephialtes. Linn. Syst. Nat.* 806. 36.
*Fuesl. Magaz. t.* 1. *f. E.*
*Esp. t.* 2. *t.* 18. *f.* 3.
*Pap. d' Eur. t.* 100. *f.* 144.
*Panz. Fn. Germ. Heft.* IV. 20.
Variat punctis albis baseos, uti & cingulo abdominis nunc flavo, nunc rubro.
Habitat in Medicagine falcata, rarior.

367. Z. Trigonellae.

Z. alis omnibus utrinq. atro cerulescentibus, superioribus maculis disci tribus albis, binis baseos flavis, inferioribus macula unica alba. *Esp. t.* 2. *t.* 33. *cont.* 8. *f.* 3. *f.* 4. *var.*

*Schaeff. Icon. t.* 165. *f.* 3. *u.* 4.

*Ernst. Pap. d' Eur. t.* 101. *f.* 146. c. d.

Habitat in montuosis Florentiae.

## CLI. *BOMBYX.*

*Palpi* duo compressi, reflexi. *Lingua* brevis membranacea. *Antennae* filiformes.

368. B. Trifolii.

B. alis reversis ferrugineis: anticis striga, punctoq. albis, posticis immaculatis. *F. Mant.* 112. 46.

*W. S. n.* 4. *p.* 57.

*Esp. t.* 3. *t.* 15.

*Wilkes t.* 47.

Habitat in Trifolio capite purpurescente non rara.

369. B. Quercus.

B. alis reversis ferrugineis, striga flava; anticis puncto albo. *F. Sp.* 175. 39.

*Fn. Etr.* 2. 168. 1074.

Larva polyphaga, & a me plerumq. inventa subfinem Junii in Lauri cerasi foliis, iisq. educata.

Habitat in Quercu.

370. B. Clavis.

B. spirilinguis dorso cristato, alis superioribus griseo-fuscis stigmate claviformi, fasciaq. marginali macularum nigrarum triangularium. *Esper. tom.* 3. *t.* 63. *f.* 5.

*Berl. Magaz.* 2. *B.* 426. *S.* 47. *nr.*

*Naturf.* 8. *St.* 109. *S.* 47. *nr.*

A nonnullis confusa cum *P. B. Exclamationis Linn.*

Habitat in silvis sat frequens.

371. B. Velitaris.

B. alis cinerescentibus denticulatis, strigis duabus albidis repandis, fusco marginatis. *Esper. t.* 3. *t.* 58. *f.* 6.
*Naturf.* 9. *p.* 129. *n.* 64.
*Magaz. de Berlin. p.* 394. *n.* 64.
*Goez. Ent. part.* 3. *t.* 3. 193. 21.
Habitat in Quercu, lecta in locis silvestribus submontanis.

372. B. Compressa.

B. alis compresso-adscendentibus niveis: macula communi fusca centrali grisea: lunula alba. *F. Mant.* 124. 137.
*Pyr. Bankiana. F. Syst. Ent.* 645. 1.
*Phalaena Spinula W. V.* 64. 6.
*P. G. Modesta. Naturf.* XIII. *St. p.* VI. *t.* 3. *f.* 4. *a. f.* 4. *b.*
*Panz. Fn. Germ.* 1. *Heft. t.* 6.
Caret interdum macula grisea centrali.
Habitat in Pruno spinosa non rara.

373. B. Aesculi.

B. nivea, alis punctis numerosis caeruleo nigris, thorace senis. *F. Mant.* 116. 85.
*Hepialus Aesculi F. Sp.* 208. 5.
*Phalaena Aesculi. Linn. Syst. Nat.* 833. 83. *Fn. Sv.* 1150.
*W. S. t. tit. praef.*
*Poda Ins.* 88. *n.* 16.
*Reaum. Ins.* 2. *t.* 38. *f.* 1. 4.
*Roes. Ins.* 3. *t.* 48. *f.* 5. 6.
*Esp. t.* 3. *t.* 62. *f. omnes.*
*Schaeff. Icon. t.* 31. *f.* 8. 9.
Antennae in masculo usq. ad dimidium pectinicornes pinnis utrinq. aequalibus.
Habitat in Aesculo Alno, Pyro, at etiam lecta in caudice Ulmi mens. Jun.

374. B. Anachoreta.

B. alis deflexis griseis: strigis albidis, macula apicis fusco-ferruginea: striga undata alba. *F. Mant.* 120. 114.

*B. Anachoreta W. Verz.* 55. 1.
*Esp. t.* 3. *t.* 51. *f.* 5.
Variat alis luteſcentibus.
Habitat in Salice, Populo rarior.

375. B. Auriflua.

B. alis deflexis albis: anticis ſubtus coſta fuſca, ano barbato luteo. *F. Sp.* 125. 145.
*B. Auriflua Wien. Verz.* 52. 4.
*Esp. t.* 3. *t.* 39. *f.* 9.
*Fueſl. Ins. p.* 35. *n.* 662.
*Kleeman. p.* 101. *n.* 287.
*Villers. Ent.* 21. 153. 59.
*Ernſt Pap. d' Eur. t.* 136. *f.* 183.
Habitat in Pomona non frequens.

376. B. Testudo.

B. alis deflexis flavis, s. ferrugineis ſtrigis duabus obliquis obſcurioribus. *F. Mant.* 121. 116.
*B. Sulphurea F. Sp.* 189. 86.
*B. Testudo. W. V.* 65. 1.
Raro lecta in ſilvis.

377. B. Lugubris.

B. alis deflexis flavis: rivulis punctisq. atris, poſticis fuſcis. *F. Mant.* 128. 165.
*Noctua Sulphurea Wien. Verz.* 93. 6.
*Geoffr. Ins. t.* 2. 184 5. Inter *Tineas.*
*Villers. Ent. t.* 2. 434. 782. Vera *Tortrix Linn.*
*Schaeff. Ic. t.* 9. *f.* 14. 15.
Habitat in Convolvulo arvenſi, frequentiſſima.

378. B. Vestita.

B. alis incumbentibus nigris immaculatis abdomine ſubtus villoſo albo. *F. Sp.* 204. 146.
*Reaum. Ins.* 3. *t.* 11. *f.* 7. 8.
*Geoff. Ins.* 2. *p.* 203. *n.* 50.

*De Geer t.* 2. 307. *t.* 3. *f.* 13. 14.
*T. Plumella W. V.* 133. 3.
*Esp. t.* 3. *t.* 44. *f.* 1.–5.
*Villers. Ent.* 2. 154. 62.

Habitat in graminosis. E folliculo seu involucro graminibus foliolisq. aridis tecto, prodierunt mihi domi plures m. Sept. e larvis educatis lauri cerasi foliis.

379. B. Apiformis.

B. alis incumbentibus, hyalino-nigris, abdomine ovato villoso rufo. *Fn. Etr. t.* 2. 178. 1105. *t.* 8. *f.* 2.

Variat, sed rarissime abdomine atro villoso.

Hujus singularis Bombycis plurium annorum spatio frustra investigavi exemplaria, deceptus fortasse volatu quo Apem mentitur, re vero explorata tandem captura facillor; sub Junii finem enim serenis diebus ante nonam horam matutinam occurrit iuxta sepes in silvis, numquam plantis insidens, sed statim ac visa primum obviam volans, volatu humili tremulo, quasi albo tibialium colore allecta, facillimeq. inde fugiens, ac rediens.

Habitat in locis silvestribus.

380. B. Obscura.

B. alis incumbentibus concoloribus fuscis, anticis, punctis tribus albis, posticis immaculatis. *F. Sp.* 206. 156.
*Ph. Ancilla Linn. Syst. Nat.* 835. 93.
*N. Ancilla W. V.* 69. 13.
*Esper. t.* 88. *n.* 6. *f.* 1. 2.

Antennae setaceae. habitu *Tortrix*.

Habitat in silvis frequens.

381. B. Punctata.

B. alis incumbentibus concoloribus anticis fuscis albo-punctatis, posticis flavis apice fuscis. *F. Sp.* 206. 157.

Statura ac magnitudo praecedentis, cui valde affinis, & forte varietas.

Habitat in locis iisdem minus frequens.

## CLII. *HEPIALUS.*

*Palpi* duo reflexi. *Rudimentum* linguae bifidae inter palpos. *Antennae* noniliformes.

### 382. H. Crux.

H. alis rufo luteis lineis duabus obliquis albis, antennis serratis. *F. Mant.* 135. 6.

Statura *H. Hecti*, & vix major. Alae luteae rufo mixtae lineis duabus obliquis albis ad marginem tenuiorem coeuntibus. Posticae subtus obscuriores. Antennae breves serratae.

Semel lectus m. Jul.

## CLIII. *NOCTUA.*

*Palpi* compressi, pilosi, apice cylindrici nudi. *Lingua* porrecta cornea. *Antennae* setaceae.

### 383. N. Quercus.

N. laevis alis incumbentibus griseis, strigis tribus fuscis. *F. Sp.* 214. 24.

*Noctua Trilinea W. V.* 84. 5.

*N. Trigrammica Esp. t.* 123. 44. *f.* 6.

*Villers. Ent.* 2. 256. 273.

Habitat in Quercu minus frequens.

### 384. N. Complana.

N. laevis alis depressis plumbeis: margine exteriori pallidis, posticis totis flavis. *F. Mant.* 139. 39.

*P. Complana W. V.* 68. 4.

*Alb. Ins. t.* 70. *f. G. H.*

*Hubner.* 1. 3. *t.* 1. *f. F.*

Variat alis pallidis.

Habitat in Quercu non rara.

### 385. N. Batis.

N. laevis, alis deflexis: anticis fuscis; maculis quinque incarnatis, posticis albidis. *F. Mant.* 141. 56.
*P. Batis W. V.* 85. 1.
*Merian. Eur.* 3. *t.* 21. *f.* 1. *f.* 122.
*Reaum. Ins.* 1. *t.* 7. *f.* 2.
*Roes. Ins.* 4. *t.* 26.
*Esp. t.* 86. *Noct.* 7. *f.* 6.

Semel lecta in Rubo m. Jul.

### 386. N. Manicata.

N. laevis alis purpurascentibus, strigis undulatis, pedibus maris manicatis. *Vill. Ent. t.* 2. 275. 349. *t.* 5. *f.* 22.

Magnitudo *N. Rivularis*. Pedes antici in masculo valde lanati.

Habitat in silvestribus frequens.

### * 387. N. Bengalensis.

N. laevis alis deflexis anticis subauratis, fuscoq. variis, maculis subrotundis duabus aurato-argenteis.

Statura ac magnitudo fere *N. Festucae*. Alae anticae subauratae fusco-cinereoq. variae. In medio maculae duae argenteae subcontiguae minores quam in *N. Festucae*, ac rotundiores. Posticae basi flavo-cinereae, apice fuscae.

*Noctua* huic omnino similis, ejusdemq. sane speciei, a *D. de Paykull* transmissa sub nomine *N. Bengalensis. nov. sp.*

Vespera adit flores; saepiusq. lecta in floribus Mirabilis Jalapae, ac Just. Adathodae.

### 388. N. Nigricollis.

N. laevis alis deflexis margaritaceis, lunula difformi, collari atro. *Vill. Ent.* 2. 272. 337. *t.* 5. *f.* 12.

Magnit. media. Alae superiores albidae margine postico obscuriore. In medio alae lunula nigrescens male terminata. Alae inferiores subtus canae; collare atrum. V.

Habitat in Quercu non rara.

389. N. Livida.

N. laevis, alis incumbentibus, atris nitidulis: posticis ferrugineis; margine fusco. *F. Mant.* 138. 32.

*N. Livida W. V.* 85. 13.

*N. Scotophila Hübner. Heft. p.* 1. *t.* 4. *f.* z.

Habitat in Taraxaco rara.

390. N. Spectrum.

N. spiril. crist. alis crenatis, superioribus ochraceis, fasciis supra fuscis, punctoq. in medio albo: inferiorioribus fuscis subtus dilutioribus. *Esper. T.* 100. *n.* 21. *f.* 3. 4.

*N. Socrus* spiringuis cristata, alae omnes griseae, superioribus strigis plurimis undatis obscurioribus; inferioribus immaculatis. *Giorna Kalend. pag.* 15.

Statura ac magnit. *N. Pactae*.

Habitat imago ruri muris insidens in cavis domorum, & antris; m. Octob. frequens.

391. N. Orbona.

N. cristata, alis incumbentibus hepaticis, posticis flavis, lunula strigaq. postica fuscis. *F. Mant.* 150. 116.

*Pap. d' Eur. t.* CCLXX. 434. *k.*

*Hubn. t.* 2. 4. 1. *f.* D.

Aliae occurrunt huic, sed magis *N. Pronubae* affines, sane *N. Subsequa Hubner p.* 1. 4. *f. Y.*

Semel lecta in silvis.

192. N. Segetis.

N. cristata, alis incumbentibus ferrugineis, strigis undatis obscurioribus, posticis albidis. *F. Sp.* 223. 78.

*P. Segetum. W. V.* 252. *t.* 1. *a.* 3. *t.* 1. *b.* 3.

*Esper. t.* 4. *t.* 150. *f.* 4. 5.

Habitat in segete radices devorans. raro lecta.

393. M. Maura.

N. cristata, alis incumbentibus dentatis cinereo-nigroq. variis, subtus margine albo. *F. Sp.* 224. 81.

*P. Maura. Linn. Syst. Nat.* 843. 124.
*P. Lemur. Naturf.* 6. *t.* 5. *f.* 1.
*Esp. t.* 107. 28. *f.* 1.
*Schaef. Ic. t.* 1. *f.* 5. 6.

Larva nuda obscure viridis flavolineata m. Jun. occurrit copiosa in Genista corticem ac flores comedens. Pupa folliculata. Quies 2. hebdomadum.

Habitat in Arni Valle superiori frequens.

### 394. N. Dentina.

N. cristata, alis planis, cinereo fuscoq. variis macula marginis interioris, strigaq. postica flavis. *F. Mant.* 156. 151.
*N. Dentina W. V.* 82. 8.
*Esper. t.* 127. *n.* 48. *f.* 2. 3.

Habitat in silvestribus rara.

### 395. N. L. Album.

N. cristata grisea alis incumbentibus l. albo notatis. *F. Sp.* 226. 87. *Linn. Syst. Nat.* 850. 154.
*Esp. t.* 90. *N.* 11. *f.* 3. 4.
*Hubn. Heft.* 1. *t.* 2. *f. K.*
*Schaeff. Ic. t.* 92. *f.* 4.

Margo posticus fuscus.

Habitat in pratis non frequens.

### 396. N. Gilvago.

N. cristata, alis deflexis luteis: puncto medio fusco, strigaq. postica punctorum nigrorum. *F. Mant.* 161. 172.
*W. S. n.* 10. *p.* 87.

Lecta in Salice.

### 397. N. Circumflexa.

N. cristata, alis deflexis: anticis fuscescentibus, charactere flexuoso argenteo. *F. Mant.* 162. 179. *Linn. Syst. Nat.* 884. 128.
*W. V.* 93. 4.
*Hubner. t.* 1. *t.* IV. f. V.

*Esper. t.* 4. t. III. f. 5. 6.
Habitat in Achillea millefolio, in silvestribus rarior.

398. N. Satellitia.

N. cristata, alis deflexis dentatis brunneis: anticis puncto flavo inter punctula duo alba. *F. Sp.* 230. 104. *Linn. Syst. Nat.* 855. 176.
*N. Satellitia W. V.* 86. 5.
*Roes. Ins.* 3. *t.* 50.
Habitat in Grossularia. rarissima.

399. N. Absinthii.

N. cristata, alis deflexis canis: fasciis, punctisq. in tetragonum positis nigris. *F. Sp.* 230. 109.
*P. Absinthii Linn. Syst. Nat.* 845. 133. *Fn. Sv.* 1182.
*Geoffr. Ins.* 2. 158. 95.
*W. S.* 73. 1.
*Clerck. Icon. t.* 8. *f.* 19.
*Roes. Ins.* 1. *ph.* 2. *t.* 61.
*Esper. t.* 4. *t.* 116. *f.* 1.
Habitat in Absinthio non frequens.

400. N. Occulta.

N. cristata, alis deflexis nebulosis, apice cinereis: maculis tribus nigris. *F. Mant.* 166. 212.
*P. Occulta* spirilinguis, cristata, alis deflexis fusco-nebulosis, inferioribus brevioribus: margine albis. *Linn. Syst. Nat.* 849. 247. *Fn. Sv.* 1203?
*Clerck. t.* 1. *f.* 6.
*Esper. t.* 132. *N.* 53. *f.* 4.
*Hubn. tom.* 2. *p.* IV. *t.* 2. *f.* L. larva.
Nostra specimina conveniunt cum descriptione *Fn. Sv.*
Raro lecta.

401. N. Pyramidea.

N. cristata, alis fuscis, strigis tribus undatis, flavescentibus repandis, posticis ferrugineis. *F. Sp.* 232. 119.

*P. Pyramidea Linn. Syst. Nat.* 856. 181.
*Geoff. Ins.* 2. 160. 99.
W. *S. n.* 1. *p.* 71.
*Reaum. Ins.* 1. *t.* 15. *f.* 1-5.
*Merian. Europ.* 2. 23. *t.* 9.
*Roes. Ins.* 1. *phal.* 2. *t.* II.
Habitat in Juglande, Quercu non frequens.

### 402. N. Alchymista.

N. cristata, alis deflexis dentatis nigris atro undatis, apice cinerascentibus, posticis basi, maculisq. duabus marginalibus albis. *F. Mant.* 171. 240.
*N. Alchymista* W. *V.* 89. 5.
*Naturf.* 14. *St. t.* 4. *f.* 10.
*Esp. t.* 107. *n.* 28.
Habitat in Populo alba rarior.

### 403. N. Tridens.

N. cristata, alis deflexis cinereis, maculis atris trifidis, posticis albidis. *F. Mant.* 173. 254.
*N. Tridens.* W. *V.* 67. 1.
*Roes.* 1. *t.* 8.
*Esp. t.* 115. *N.* 36. *f.* 5.
Affinis *N. Psi*, at larva diversa.
Habitat in Pruno armeniaca non rara.

### 404. N. Perla.

N. cristata, alis deflexis cinereis, maculis duabus fuscis. *F. Mant.* 173. 251.
*N. Perla* W. *V.* 70. 3.
*Schaeff. Ic. t.* 263. *f.* 4. 5?
Habitat apud nos frequens.

### 405. N. Euphorbiae.

N. cristata, alis deflexis fusco undatis: maculis ordinariis; anteriore orbiculata, posteriori reniformi albidis. *F. Mant.* 174. 260.

*N. Euphorbiae.* W. *V.* 67. 4.
*Esp. t.* 117. *N.* 38. *f.* 1.
*Roes.* 1. *t.* 45.
Habitat in Euphorbia. Semel lecta.

406. N. Atriplicis.

N. cristata, alis deflexis, anticis fusco-nebulosis, litura media flava bifida. *F. Sp.* 232. 115.
*P. Atriplicis Linn. Syst. Nat.* 854. 173. *Fn. Sv.* 1196.
*Geoff. Ins.* 2. 159. 97.
*Wilk. Pap.* 3. *t.* 1. *a.* 2.
*Roes. Ins.* 1. *ph. t.* 31.
Habitat in Atriplice Rumice frequens.

407. N. Tragopoginis.

N. cristata, alis deflexis: anticis fuscis; punctis nigris tribus approximatis, posticis lividis. *F. Sp.* 237. 133. *Linn. Syst. Nat.* 855. 177. *Fn. Sv.* 1189.
*De Geer.* 2. 418. *t.* 7. *f.* 15.
*N. Tragopoginis.* W. *V.* 85. 14.
*Frisch. Ins.* 11. *p.* 33. *t.* 7.
Habitat in Tragopogine, Spinachia, Rumice sat frequens.

408. N. Hepatica.

N. cristata, alis deflexis obscure griseis, macula fusca punctisq. tribus costalibus albis. *F. Sp.* 237. 134. *Linn. Syst. Nat.* 853. 169. *Fn. Sv.* 1209.
*N. Hepatica* W. *S.* 84. 1.
*Clerck. Icon. t.* 8. *f.* 3.
*Villers. Ent. t.* 2. 235. 231.
Lecta ruri.

409. N. Polyodon.

N. cristata, alis deflexis dentatis nebulosis, striga postica dentata alba. *F. Sp.* 237. 136. *Linn. Syst. Nat.* 853. 170. *Fn. Sv.* 1219.
*N. Polyodon. W. S.* 72. 1.
*Goeze* 111. 163. 170.
Habitat in Betula alba. Raro lecta.

D 2

410. N. Nigricans.

N. cristata, alis deflexis nigricantibus, stigmatibus ordinariis pallidioribus. *F. Mant.* 178. 279.
*N. Nigricans. W. S.* 81. 19.
Alae inferiores colore variant.
Habitat in Cichorio Intybo.

411. N. Hippophaes.

N. spirilinguis antennis filiformibus ferrugineis, alis deflexis fusco rufescentibus nitidis, fascia ferruginea punctoq. rubro. *De Geer. t.* 2. *p.* 419. *t.* 7. *f.* 16.
*Goeze* III. 252. 371.
*Villers. Ent. t.* 2. 250. 260.
Lecta in silvis, rara.

412. N. Craccae.

N. cristata, alis striatis cinereis: puncto albido, lunula punctata, thoraceq. antice atris. *F. Mant.* 154. 137.
*N. Craccae. W. V.* 94. 3.
*Goeze* IV. 224. 229.
Statura *N. Lusoriae*, at paullo minor.
Habitat in Vicia cracca.

413. N. Arbuti.

N. cristata, alis deflexis fuscis, posticis nigris fascia flava. *F. Mant.* 184. 309.
*Naturf.* 3. *t.* 1. *f.* 8. *pag.* 8.
*Goeze* III. 236. 306. *Lang. Verz. n.* 1134. N. Policula.
Paullo minor *N. Myrtilli*.
Habitat in silvis frequens.

## CLIV. *PHALAENA.*

*Palpi* cylindrici. *Lingua* porrecta membranacea. *Antennae* filiformes.

### 414. P. PUNCTARIA.

P. pectinicornis, alis angulatis cinereis: striga ferruginea ordineq. punctorum nigrorum. *F. Mant.* 185. 9. *Sp.* 242. 7. *Linn. Syst. Nat.* 859. 200. *Fn. Sv.* 1250.
*W. S. n.* 2. *p.* 107.
*Knoch.* 1. 13. *t.* 1. *f.* 4.
*Clerck. t.* 5. *f.* 11.

Striga omnibus ferruginea in medio. Puncta interdum subtus obliterata.

Habitat in Quercu.

### 415. P. EQUESTRARIA.

P. pectinicornis, alis angulatis, anticis fuscescentibus, fascia lata flava, posticis flavis. *F. Sp.* 244. 15.
*Goeze* III. 419. 302.

Alae anticae angulatae fuscae in medio fascia flava. Posticae angulato-dentatae flavae apice obscuriores. Subtus anticae flavescentes puncto medio nigro, apice obscurae, margineq. flavo variegato. Posticae obscurae basi pallidae, punctoq. medio nigro.

Semel lecta.

### 416. P. ROBORARIA.

P. pectinicornis, alis dentatis griseis, atomis, strigisq. numerosis fuscis. *F. Mant.* 187. 23.
*P. Roboraria W. V.* 101. 1.
*Goeze* III. 392. 115.
*Schaeff. Ic.* 271. *f.* 3?

Habitat in Quercu rarior.

### 417. P. PAPILIONARIA.

P. pectinicornis alis viridibus, subrepandis, striga sesquialte-

ra repanda. *F. Sp.* 246. 26. *Linn. Syst. Nat.* 864. 225. *Fn. Sv.* 1247.

*P. Papilionaria W. V.* 97. 1.

*Roes. Ins.* 4. *t.* 18. *f.* 3.

*Wilk. pap.* 37. *t.* 1.

*Fuesly Archiv.* 2. *t.* 3.

*Schaef. Ic. t.* 17. *f.* 1.

Variat magnitudine. Apud nos minor.

Habitat in silvis non frequens.

418. P. FURCARIA?

P. pectinicornis alis griseo-nebulosis: omnibus subtus puncto nigro; lunula alba. *F. Syst.* 624. 22? *Sp.* 247. 30.

Omnino diversa a *P. Lunaria*. *Hubn. tom.* 1. t. 1. f. C. 1. 2.

Magnitudo *P. Abietariae*. Antennae setaceae subdentatae. Caput, & thorax cinerea, hic vero antice griseo-fasciatus. Alae omnes supra cinereae strigis variis undatis, obsolete nigris, fascia baseos seu potius striga duplicata obscuriori. In medio versus marginem exteriorem macula unica orbiculata albida nigro marginata tam in alis anticis quam posticis: subtus seu in pagina inferiori omnes albidae macula magis conspicua nigra, lineola in medio tenuissima alba. Apex anticarum postice obscurior apice ipso albido. Tarsi nigro annulati.

Pluries lecta quiescens in muro, alis patentibus.

419. P. PINIARIA.

P. pectinicornis, alis fuscis flavo-maculatis, subtus nebulosis, fasciis duabus fuscis. *F. Sp.* 247. 31.

*P. Piniaria Linn. Syst. Nat.* 86. 210. *Fn. Sv.* 1233.

*De Geer. t.* 2. 351. *t.* 5. *f.* 20.

*W. V.* 106. 7.

*Reaum. Ins.* 2. *t.* 28. *f.* 6.

*Ammiral. Ins.* 1. *t.* 20.

*Sepp.* 6. *st. t.* 4.

*Clerk. Ic. t.* 4. *f.* 11. *ph. t.* 1. *f.* 10.

*Schaeff. Ic. t.* 1. *f.* 10. *t.* 159. *f.* 1. 2. *Mas.*

Habitat in pino, non frequens.

420. P. Bipunctaria.

P. pectinicornis, alis anticis cinereis fusco-undatis: fascia media obscuriori; punctis duobus atris. *F. Mant.* 189. 48.

*P. Pipunctaria W. V.* 111. 5.

*P. Undulata Scop. Carn.* 555.

Habitat in lolio perenni, sat frequens.

421. P. Murinaria.

P. pectinicornis, alis griseis: strigis duabus, punctoq. medio fuscis. *F. Mant.* 190. 55.

*P. Murinaria* W. *V.* 105. 4.

*Goeze* III. 395. 143.

Parva, tenera. Corpus griseum.

Lecta Florentiae in montuosis.

422. P. Plumbaria.

P. pectinicornis, alis plumbeis: strigis tribus, punctoq. medio fuscis. *F. Syst. Ent.* 628. 44. *Sp.* 252. 59.

*P. Plumbaria* W. *V.* 102. 7.

*Scop.* 551. *P. Chlorosata.*

*Goeze* III. 415. 273.

Magnit. *P. Elinguariae*. Strigae tres luteolae.

Habitat in silvis, rarior.

423. P. Marginaria.

P. alis lutescentibus angulatis ad basin littera V. notatis, margine postico late purpurascente. *Villers. Ent. t.* 2. 303. 423. *t.* 6. *f.* 3.

*P. Vespertaria. Fab. Mant.* 62?

*P. Apiciaria Hubner. Heft. p.* 1. *t.* 2. f. O.

Alae minus flavae quam in *P. Parallelaria.*

Pluries lecta in silvis umbrosis.

424. P. Hirtaria.

P. pectinicornis, alis cinereis, striga fusca undata albae innata. *F. Sp.* 249. 41. *Linn. Fn. Sv.* 1236.

*De Geer. Ins.* 1. 354. *t.* 22. *f.* 6.

*Clerck. Icon. t. 7. f. 1.*
Habitat apud nos rarior.

425. P. Calabraria.

P. pectinicornis alis patentibus luteis fascia duplici communi rosea, anticis versus basin fascia tertia lineari. *Petagna Sp. Ins. Calab.* 199. *t.* 1. *f.* 23. *Inst. Entom. t.* 2. 590. 79. *Ph. Calabra.*
*P. Calabraria Hubner. Heft.* 2. 4. *t.* 2. *f. M. mas.*
*P. Trifasciata Cyril. Ent. Neapol. Spec. t.* 1. *f.* 5. Figura bona, at nomen improprium, antennae enim in masculo pectinatae.

Alae patentes omnes luteae. Fascia marginalis latior: ante marginem altera fascia communis priore angustior: parum distans a basi alarum anticarum tertia fascia linearis lunata, quae progreditur per costam ad basin usq.; omnes roseo laeto colore. Corpus totum luteo, & roseo colore variegatum. Femora rosea uti & frons. Tibiae luteae. *Pet. l. c.*
Affinis *P. Vibicariae.*
Habitat in silvestribus, Pisis.

426. P. Gilvaria.

P. pectinicornis alis anticis flavescentibus, fascia obliqua, atomisq. fuscis. *F. Mant.* 196. 95.
*P. Gilvaria W. V.* 102. 10.
*Goeze* III. 394. 132.
Habitat in Achillea millefolio.

427. P. Minutaria.

P. pectinicornis, alis cinereis, strigis fasciaq. postica fuscis. *F. Sp.* 253. 62.
*Villers. Ent. t.* 2. 320. 459.
Parva, sed non minima.
Habitat in pratis non rara.

* 428. P. Fasciataria.

P. pectinicornis, alis angulatis, fusco-griseis, in medio obscurioribus, subfasciatis, strigosis, puncto nigro centrali.

Magnitudo *P. Piniariae*. Alae superiores in parte antica, & postica griseae, margine exteriori striga abbreviata, punctoq. nigris. In medio fascia obscurior, ad apicem nigra, anticeq. striga nigra terminata, postice sinuosa. Inferiores angulatae fere similiter pictae, omnesq. subtus pallidiores, atomis, striga, punctoq. medio nigris. Affinis. *P. Lignariae*.

Habitat in silvis sat frequens.

* 429. P. Ochrearia.

P. pectinicornis, alis anticis squammoso-lutescentibus, posticis albidis: subtus omnibus, atomis, puncto, strigaq. repanda submarginali fuscis.

Magnitudo praecedentis. Antennarum costa alba, radii fusci. Alae ad costam atomis confertius aspersae praesertim inferius.

Habitat in silvis frequens.

* * *Anten. setaceis.*

430. P. Demandata.

P. seticornis, alis subangulatis lutescentibus, strigis tribus fuscis, punctoq. medio atro. *F. Sp.* 254. 73.
*Villers. Ent.* 2. 335. 508.
*Goeze* III. 416. 277.

Paullo minor P. *Amataria*, cui affinis.

Habitat in pratis & hortis frequens.

431. P. Obscurata.

P. seticornis, alis dentatis griseis, strigis pallidioribus, undatis obsoletis. *F. Sp.* 255. 80.
*Villers. Ent.* 2. 336. 509.
*Goeze* III. 396. 153.

Media. Basis alae anticae fuscescit.

Habitat in Myrtillo. Lecta in silvis.

432. P. Adustata.

P. seticornis, alis anticis albidis: fasciis duabus fuscis; posteriore repanda cinereo undata. *F. Mant.* 205. 172.
*P. Adustata W. V.* 114. 9.
*Goeze* III. 402. 200.
*Schaeff. Ic. t.* 112. *f.* 9.

Media. Fascia altera baseos, altera fere marginalis.

Habitat in Evonymo.

433. P. Undulata.

P. seticornis, alis omnibus strigis confertissimis undulatis fuscis. *F. Sp.* 257. 89. *Linn. Syst. Nat.* 863. 239. *Fn. Sv.* 1272.
P. *Undulata W. V.* 109. 16.
*Clerck. phab. t.* 6. *f.* 3.
*Goeze* III. 321. 239.
*Udm. Diss.* 71.

Habitat in Salice capraea, frequens.

434. P. Ocellata.

P. seticornis, alis albidis fascia lata abbreviata fusca, puncto subocellari atro. *F. Sp.* 262. 118.
*P. Ocellata Linn. Syst. Nat.* 870. 258. *Fn. Sv.* 1280.
*P. Ocellata W. V.* 113. 9.
*P. Alstroemeriana Sulz. Hist. Ins. t.* 23. *f.* 5.
*P. Fasciata Scop.* 550. *Goeze* III. 339. 258.

Habitat in Galio sylvatico.

435. P. Chenopodiata.

P. seticornis, alis anticis testaceis, fasciis tribus griseis, puncto prominulo, apicisq. lineola supra fusca. *F. Sp.* 263. 124. *Linn. Syst. Nat.* 868. 246. *Fn. Sv.* 1263.
*P. Mensuraria W. V.* 112. 2.
*Alb. Ins. t.* 47. *f.* 79.
*Fuesl. n.* 780. *Goeze* III. 328. 246.
*Kleemann Ins. t.* 37. *f.* 8. 9.
*Schaeff. Ic. t.* 67. *f.* 5. 6.

Habitat in Chenopodio, sat frequens.

436. P. Luctuata.

P. seticornis, alis anticis fusco-virescentibus: faſciis duabus albis, punctoq. centrali nigro. *F. Mant.* 208. 194.
*Hubner. Heft.* 2. 4. *t.* 3. f. Y.
Habitat in silvis frequens.

437. P. Moniliata.

P. seticornis, alis omnibus cinereis strigis nigris fasciaq. postica fusca; striga moniliformi cinerea. *F. Mant.* 209. 201.
*P. Moniliata W. V.* 117. 10.
*Goeze* III. 402. 209.
*Hubner. Heft.* 2. 3. 3. *f. N.*
Habitat silvas in sepibus.

438. P. Punctata.

P. seticornis alis rotundatis niveis: anticis puncto medio fusco, margineq. nigro punctato. *F. Sp.* 265. 134.
*P. Temerata W. V.* 116. 7.
*Villers. Ent.* 2. 375. 603.
*Hubner. Heft.* 1. *tab.* IV. *f.* 5. *P. Sylvestrata.*
Colore niveo puncto fusco, punctisq. marginalibus facile dignoscitur.
Habitat in silvis frequens.

439. P. Incanata.

P. seticornis, alis omnibus canis, postice striga alba repanda, disco puncto margineq. nigro-punctatis. *Fn. Sv.* 1278.
*Villers. Ent.* 2. 350. 538.
*Clerck. phal. t.* 3. *f.* 3.
*W. V.* 117. 7. *Hubn. n.* 62. *Goeze* III. 343. 263.
Ob maximam fragilitatem difficillime asservatur.
Lecta in silvis.

440. P. Mediata.

P. seticornis, alis omnibus griseo-undatis, puncto centrali fusco, margineque nigro punctato. *F. Sp.* 265. 135.
*P. Strigilata. W. V.* 117. 4.

*Clerck. t.* 5. *f.* 2. *Goeze* III. 423. 319.
Affinis P. *Punctatae*. Parva.
Habitat in herbosis.

441. P. RUBRICATA.

P. seticornis, alis purpurascentibus: strigis undatis fuscis. *F. Mant.* 210. 214.
*P. Rubricata W. V.* 110. 19.
*Goeze* III. 398. 169.
Parva. Strigae quatuor fuscae, quarta pallidior.
Habitat in silvis, non rara.

442. P. OCHREATA.

P. seticornis, alis flavescentibus: strigis numerosis obscurioribus. *F. Mant.* 211. 215.
*P. Ochrata Scop. Carn.* 567. *Geoff. Ins.* 2. 153. 87.
*P. Ochreata W. V.* 110. 20.
*Goeze* III. 409. 244.
Parva.
Habitat in Festuca duriuscula, frequens in herbidis prope aquas.

443. P. LEMNATA.

P. seticornis, alis niveis: posticis fascia terminali nigra: punctis quatuor albis. *F. Sp.* 269. 162. *Linn. Syst. Nat.* 874. 278. *Fn. Sv.* 1301.
*Hubn.* 88. *P. Gemmata*.
*Raj. Ins.* 205. 102.
*Reaum. Ins.* 2. *t.* 12. *f.* 14. 15.
*Goeze* III. 353. 278.
*Harris. Ins.* 15. *t.* 7. *f.* 1. *p.*
Magnitudo *P. Moniliatae*. Antennae corpore dimidio breviores, articulis singulis ab altero latere albo triangulo pictis, inde hinc visae annulis albis cinctae, & quodammodo subserratae conspiciuntur. Alae omnes albae; posticaeq. fascia media undata fusca abbreviata ad marginem internum, mox striga, deindeq. fascia terminalis atra monili-

formis, auro circumducta, in qua secundum ejus longitudinem puncta quatuor argentea aequaliter distributa. Corpus pedesq. albidi.

Habitat imago prope aquas ineunte Octobri, & larva fusco nigra capite albo inventa saepe affixa parieti vasis plantas aquaticas continentis, ubi collectis lemnae, vel lenticulae palustris foliolis, iisdemq. involuta fere ad aquae superficiem metamorphosin subit, & declaratur.

444. P. Corrigata.

P. seticornis, alis fulvis, strigis undatis fusco-ferrugineis. *F. Sp.* 265. 140.

Parva. Alae omnes dilute fulvae, strigis plurimis undatis obscurioribus. Subtus concolores puncto centrali nigro.

Habitat in silvestribus.

445. P. Grisata.

P. seticornis, alis griseis anticis striga, fascia, punctoq. fuscis. *F. Sp.* 261. 119.
*Goeze* III. 422. 315.

Media. Alae pone fasciam obscuriores.

Habitat in herbosis.

* 246. P. Hamata.

P. seticornis, alis anticis virescentibus, basi fasciaq. postice unidentata, niveis.

Vix major *P. Lemnata*. Caput thoraxq. alba. Alae anticae virescentes ad basin niveae spatio viridi intruso; in medio fascia nivea postice uncum seu dentem recurvum majusculum exserente, & ad costam macula pariter nivea: subtus fuscescentes. Posticae fusco-cinereae margine albido: subtus albidae.

Habitat in silvis m. Jun.

447. P. Succenturiata.

P. seticornis, alis albidis puncto nigro limboq. obscuriore. *F. Sp.* 264. 130. *Linn. Syst. Nat.* 872. 267. *Fn. Sv.* 1294.

*Geoff. Ins.* 2. 141. 164.
*W. V.* 110. 24.
*De Geer. t.* 2. 459. *t.* 9. *f.* 8?
*Scop. Carn.* 578. *P. Signata.*
*Clerck. t.* 8. *f.* 8.–11.
*Roesel. t.* 1. N. V. 3. Cl. t. 7.
*Goeze* III. 344. 267.

Habitat in silvis non frequens.

* * * *Alis forficatis.*

448. P. Ventilabris.

P. palpis antennis pectinatis brevioribus, tibiis anticis, apice fasciculato-pilosis. *F. Mant.* 216. 267?

Varietates quas in *Fn. Etr.* (conf. *P. Barbabis N.* 1181.) adnotavimus, huc referendae videntur.

Habitat in silvis.

449. P. Verbascalis.

P. seticornis, alis flavescentibus: anticis strigis tribus, punctoq. medio fuscis. *F. Mant.* 214. 246. *P. Verbascata.*
*Phalaena Verbascalis Wien. Verz.* 121. 5.
*Hubner. Pyral. t.* 9. *f.* 59.

Statura P. *Verticalis*, at paullo minor.

Habitat in Verbasco tapso.

* 450. P. Lutealis.

P. alis pallidis, primoribus punctis quatuor, strigaq. postica obsoleta nigris.

Statura ac magnitudo fere P. *Verticalis*. Alarum color cinereo-flavescens. Striga plerumq. obliterata. Variat alis immaculatis.

Habitat in Asclepiade Syriaca.

* 451. P. Dimeralis.

P. palpis porrectis, thorace longioribus, alis ad basin fusco-viridibus, ad apicem griseis, lineola alba aequaliter in triangulum bipartitis.

Statura ac magnitudo P. *Verticalis*. Corpus griseum. Antennae setaceae ad basin superius albae, & in masculo pubescentes. Palpi porrecti, approximati apiceq. superius retorti thorace longiores. Alae omnes supra & subtus griseae nitidulae, at anticae ad basin fusco-virides, ad apicem griseae, stria alba aequaliter in triangulum bipartitae, punctoq. minutissimo nigro prope marginem exteriorem ante medium notatae. Frons pilosa. Color fusco-viridis in aetate provectis plumbeus evadit, & saepe omnino evanescit.
Primum bis lecta insidens muro externo domestico m. Majo; mox vero ineunte Septembri in loco herbido inculto horti Acad. Pisani plures adinventae.

452. P. Nemoralis.

P. alis anticis basi osseis, venulis paleaceis reticulatis limbo paleaceo, parte intermedia vinaceis, margine externo repando. *Villers. Ent.* 2. 447. 815.
*W. V.* 123. 34.
*Scop. Ent. Carn.* 618.
*Goeze* IV. 68. 25.
*Hubn. Pyral. t.* 15. *f.* 100.
Habitat in silvis.

453. P. Flavalis.

P. alis anticis sulphureis: strigis duabus maculaq. media veniformi fuscis. *F. Mant.* 221. 302.
*P. Flavalis W. V.* 121. 7.
*Goeze* IV. 70. 41.
*Hubner. Pyral. t.* 11. *f.* 69.
Habitat in silvis frequens.

454. P. Undalis.

P. alis obscure cinereis strigis tribus obliquis undatis nigris.
*F. Sp.* 272. 178.
*Goeze* IV. 65. 10.
*Vill. Ent.* 2. 441. 797.
Habitat ruri.

455. P. Reticularis.

P. alis griseſcentibus, punctis lineola, ſtrigaq. flavis, margine ciliari variegato. *Fu. Sv.* 1355.

*Goeze* IV. 62. 341.

*Vill. Ent.* 2. 438. 790.

Habitat ruri frequens m. Septemb.

456. P. Palealis.

P. alis anticis vireſcentibus immaculatis. *F. Mant.* 220. 295.

*Geoff. Inſ.* 2. 166. 112.

*P. Palealis W. V.* 123. 27.

*Goeze* IV. 72. 55.

*Hubner. Pyral. t.* 11. *f.* 70.

Alae antice albidae virore quodam luteo.

Habitat in Feniculo; larva nuda lutea nigro punctata fila ducens in umbellis. Pupa folliculata. Metamorphoſis e larva in pupam tarda. Quies fere decem menſium.

457. P. Strigalis.

P. alis griſeis: ſtrigis duabus flavis, coſtaq. purpuraſcente. *F. Sp.* 274. 191.

*Goeze* IV. 65. 13.

*Villers. Ent.* 2. 442. 800.

Subferruginea magnitudine fere. *P. Forficalis*.

Habitat in ſilvis rara.

458. P. Centralis.

P. alis albis, macula centrali ferruginea. *Vill. Ent.* 2. 450. 826.

Inter medias minor. Macula fuſco-ferruginea notatur punctis duobus minimis atris.

Habitat ruri frequens.

459. P. Porphyralis.

P. alis fuſceſceſcentibus: macula coſtali fulva, poſticis atris: ſtriga albida. *F. Mant.* 223. 317.

*P. Porphyralis. Wien. Verz.* 317. 50.

*Goeze* IV. 74. 71.
*Hubner. Pyral. t.* 6. *f.* 36.

Statura & summa affinitas *P. Purpuralis*, cujus forte varietas. Alae anticae obscure fuscae.

Habitat in floribus praesertim labiatis frequens.

460. P. Punicalis.

P. alis purpureis: lineola baseos punctis duobus mediis flavis. *F. Mant.* 223. 318.
*Phalaena Punicalis Wien. Verz.* 317. 49.
*Hubn. Pyral. t.* 6. *f.* 34.

Statura praecedentis, at paullo major, & obscurior.

Habitat in floribus frequens.

461. P. Cespitalis.

P. alis anticis obscuris variegatis: posticis nigris, strigis duabus flavis. *F. Mant.* 222. 314.
*Phalaena Cespitalis Wien. Verz.* 123. 32.
*Hubn. Pyral. t.* 6. *f.* 39.

Magnitudo P. *Purpuralis*. Alae anticae colore variant.

Habitat in plantis.

462. P. Ruralis.

P. alis paleaceis strigis transversis undulatis fuscis. *Vill. Ent.* 2. 446. 813.
*Scop. Ent. Carn.* 616.
*Goeze* IV. 68. 23.
*Schaef. Ic.* 257. *f.* 1. 2. *an?*

Habitat in hortis & pratis silvestribus frequens.

463. P. Atralis.

P. alis atris: omnibus maculis duabus niveis. *F. Sp.* 275. 197.
*P. 8.-Maculata Linn. Mant.* 540.
*P. Funeraria Mull. Zool. Dan.* 132. 1524.
*P. Guttalis W. V.* 124. 45.
*Schaeff. Ic. t.* 275. *f.* 5. 6. at major.

Thorax linea laterali flava.

Habitat in silvis rara.

464. P. Ferruginalis.

P. palpis porrectis, alis superioribus ferrugineis macula fusca. *Villers. t.* 2. *p.* 451. 827.
*Hubn. Pyral. t.* 9. *f.* 54. *P. Ferrugalis.*

Est inter minores. Alae superiores ferrugineae macula centrali fusca. Inferiores albidae puncto fusco. Diversa omnino a *P. Ferrugali* F.

Habitat in pratis.

* 465. P. Vitrealis.

P. alis albo-hyalinis immaculatis lucidis; anticis costa seu margine fusco.

Statura ac magnitudo P. *Palealis*, at alae albae pellucidae costa obscuriori, neq. subtus ad marginem nigro venosae. Descriptam non inveni.

Lecta semel ruri.

## CLV. *PYRALIS.*

*Palpi* nudiusculi, basi cylindrici medio dilatato ovati, apice subulati. *Antennae* filiformes.

466. P. Brunnichana.

P. alis fuscis, macula communi dorsali rhombea alba. *F. Sp.* 281. 30.
*P. Brunnichana Linn. Syst. Nat.* 880. 319.
W. *V.* 132. 2.
*Geoff. Ins.* 2. 187. 12?
*Villers. Ent.* 2. 401. 683. *Goeze* IV. 21. 319.

Alae omnes plumbeae, sed superiores obscurius griseae.

Habitat in silvis.

467. P. Christiernana.

P. alis anticis flavissimis, venis sanguineis reticulatis. *F. Sp.* 281. 33.

P. *Christiernana Linn. Syst. Nat.* 877. 303.
W. *V.* 128. 9.
*Fuesl. n.* 805. *Goeze* IV. 15. 303.
*Schaef. Ic. t.* 2. *f.* 12.
Habitat in silvis non rara.

468. P. Asperana.

P. alis anticis, basi albis, apice fuscis scabris. *F. Sp.* 284. 48.
*W. V.* 130. 9.
*Villers Ent.* 2. 409. 708.
*Goeze* IV. 29. 23.
Habitat in silvis non rara.

469. P. Quercana.

P. alis anticis flavis, maculis duabus costalibus sulphureis. *F. Sp.* 285. 55.
*P. Fagana* W. *V.* 28. 7. *t.* 1. *a. b.* 1. *b. b.*
*Ent. Paris.* 2. 199.
*Goeze* IV. 26. 11.
Antennae albae alis longiores.
Habitat in Quercu frequens.

470. P. Cinerana.

P. alis exalbido-cinereis immaculatis, capite fulvo. *F. Sp.* 281. 27.
*Goeze* IV. 31. 33. *der Archwickler.*
Nimis *P. Crucianae* affinis at alae immaculatae.
Habitat in nemoribus frequens.

471. P. Pomana.

P. alis nebulosis, postice macula rubra aurea. *F. Sp.* 286. 67.
*P. Pomonella. Linn. Syst. Nat.* 892. 401. *Fn. Sv.* 1418.
W. *V.* 126. 10.
*P. Pomonella. Villers Ent.* 2. 476. 892.
*Reaum. Ins.* 2. *t.* 40. *f.* 9. 10.
*Roes. Ins.* 1. *phal.* 4. *t.* 13.
*Wilck. pap.* 5. *t.* 1. *a.* 9.

*Schaeff. Ic. t.* 220. *f.* 1. 2.
Habitat in pomis frequens.

472. P. Woeberana.

P. alis fusco, aureoq. variis: costa strigis argenteis numerosis. *F. Mant.* 230. 52.
P. *Woeberana*. W. *V.* 126. 9.
*Goeze* IV. 41. 79.
Statura P. *Arcuanae*. Striae argenteae in costa alarum.
Habitat in silvis rarior.

## CLVI. *TINEA*.

P*alpi* quatuor inaequales. *Antennae* setaceae.

473. T. Mesomella.

T. alis anticis pallidis, margine flavo, punctisq. duobus fuscis. *F. Sp.* 292. 14.
P. *Mesomella Linn. Syst. Nat.* 886. 356. *Fn. Sv.* 1362.
*N. Eborina* W. *V.* 68. 5.
*Clerck. phal. t.* 4. *f.* 14.
*Hubner Heft.* 1. *t.* 3. *f.* Q.
Habitat in gramine rarior.

474. T. Oxyacanthella.

T. alis fusco-nebulosis, striga albida, margineq. postico albido. *F. Sp.* 292. 15.
P. *Oxyacanthella*. *Linn. Syst. Nat.* 886. 357.
*Goeze* IV. 85. 357.
Striga postica undulata luteo albida.
Habitat in Crataego Oxyacantha.

475. T. Cinerella.

T. alis fusco-cinereis nitidulis immaculatis. *F. Sp.* 299. 55.
P. *Cinerella* alis fusco-cinereis immaculatis nitidulis palpis

corniformibus. *Linn. Syst. Nat.* 891. 392. *Fn. Sv.* 1445.
W. *V.* 138. 25.
Palpi clavati recurvi apice setacei.
Habitat in plantis frequens.

476. T. Punctella.

T. alis anticis linearibus testaceis, punctis quatuor fuscis. *F. Sp.* 297. 46.
*P. Punctella. Linn. Syst. Nat.* 890. 386. *Fn. Sv.* 1437.
*T. Alucitella* W. *V.* 144. 40.
Habitat in Pomariis, sedens apicibus alarum innititur.

477. T. Proletella.

T. alis albidis punctis duobus fuscis, lingua inflexa. *Linn. Ed.* XIII. *p.* 2594. 379.
*Vallisn. Nat. Ed. Pat.* 1726. *p.* 101. Vulgo dicta *Ovis Brassicae.*
*Rheaum. Ins.* 2. *t.* 25.
Minima, ac brevis respectu latitudinis. Alae incumbentes. An hujus familiae?
Habitat in Brassica frequens, at facile volat & in aliis plantarum foliis occurrit.

478. T. Compositella.

T. alis fuscis macula communi dorsali argentea, strigis quatuor composita. *F. Sp.* 300. 62.
*Goeze* IV. 152. 209. *der Ruckenfleck.*
Parva. Frons alba. Antennae nigrae.
Habitat in silvis rara.

479. T. Strobilella.

T. alis fusco argenteoq. undatis, posticis fuscis margine albo. *F. Sp.* 298. 50.
*P. Strobilella Linn. Syst. Nat.* 892. 402. *Fn. Sv.* 1419.
*De Geer. Ins.* 2. 490. 9. *t.* 9. *f.* 15.
*W. V.* 135. 24. *Fuesl.* 839.
Magnitudo fere praecedentis. Alae fuscescente-griseoq. nebulosae pluribus striis transversis obliquis striatae.

Habitat in Abietis strobilis.

480. T. Trigonella.

T. alis fuscis macula communi dorsali duplici alba trigona. *F. Sp.* 299. 57.
*P. Trigonella. Linn. Syst. Nat.* 891. 393. *Fn. Sv.* 1373. *Villers. Ent.* 2. 474. 884.

Habitat in Juniperetis non rara.

481. T. Lyonetella.

T. alis flavis, fasciis quatuor argenteis, tertia superne bifida. *F. Sp.* 302. 77.
*P. Lyonetella Linn. Syst. Nat.* 897. 440. *Fn. Sv.* 1404. *Goeze* IV. 119. 440.

Habitat in silvis.

482. T. Aurella.

T. alis auratis, postice atris fascia argentea. *F. Sp.* 305. 92. *W. V.* 142. 19?
*Goeze* IV. 139. 123.

Minima. Caput album fronte ferruginea.

Habitat in Pomonae arboribus.

* 483. T. Blockiella.

T. alis cinereo-fuscis subnitidis fascia lata dorsali communi obsolete argenteo striata, posticeq. striga punctisq. duobus argenteis marginalibus.

Minuta. Alae omnes subtus obscuriores fere nigrae. Caput, abdomen, pedesq. cinerescentes. Tarsi annulati.

Lecta saepius in Citri Medicae foliis, quae demisso capite, variatisq. assidue gyris ubiq. percurrit, aliquid lingua nutrimenti hauriens.

In honorem Cel. Viri lib. *Bar. de Block Dresdensis* qui Entomologiam summa laude colit, & auget.

* 484. T. Prunnerella.

T. alis sub-aureis cinereoq. fuscis albo-bifasciatis punctis ar-

genteis sparsis, disco, apiceq. maculis atris argento-punctatis.

Minuta. Alae primores cinereo-fuscae, quasi ustulatae, fasciis duabus subnitidis albidis, quarum prima latior. In disco apiceq puncta, seu maculae tres atrae argento punctatae, sedenti, in circulum communem ad fasciam posticam distributae. Inferiores fuscae striga albida. Corpus cinereum. Pedes cinerei nigro annulati. Antennae corpore breviores, annulatae pilosae.

Habitat imago frequens in foliis Inulae Helenii, ibiq. sub vesperum ineunte Augusto choreas agens, celebrat nuptias.

In honorem illustris Viri mihiq. amicissimi *Leonardi de Prunner*, qui naturalem historiam Entomologiamq. Pedemont. Glossatorum Kalendario erudite locupletavit.

## CLVII. *ALUCITA.*

*Palpi* duo ad medium bifidi: lacinia interiori acutissima. *Antennae* setaceae.

### 485. A. Bipunctella.

A. alis fuscis: vitta communi dentata alba, thorace niveo punctis duobus atris. *F. Sp.* 307. 9.
*Tinea Echiella W. V.* 140. 54.
*Hubner Heft.* 1. 3. *t.* 1. *f. B.*

Habitat in Anchusa.

### 486. A. Sulzella.

A. antennis mediocribus alis nigris, superioribus fascia aurea. *F. Sp.* 309. 20.
*P. Sulzella. Linn. Syst. Nat.* 896. 427.
*W. V.* 143. 24.
*Goeze* IV. 115. 427.

Antennae maris incrassatae usq. ad basin.

Habitat in silvis frequens.

487. A. Podaella.

A. antennis mediocribus, alis nigris fascia alba. *F. Sp.* 309. 21.
*Villers. Ent.* 2. 485. 919.

Alae fascia aequali.

Habitat in silvis non rara.

488. A. Erxlebella.

A. antennis mediocribus unicoloribus, alis anticis fusco-aureis, posticis nigris capite fulvo. *F. Mant.* 256. 27.

Affinis *A. Calthellae*. Antennae subtus pallescentes, palpi & caput fulva.

Semel inveni.

489. A. Xylostella.

A. alis cinereo-fuscis, vitta dorsali communi sinuata alba. *F. Sp.* 306. 1.
*P. Xylostella Linn. Syst. Nat.* 890. 389. *Fn. Sv.* 1390.
*Geoff. Ins.* 2. 195. 33.
*Roes. ph.* 4. *t.* 10. *f.* 4. 5.
*Fuesl.* 835.

Antennae niveae ad apicem nigro-annulatae, corpore paullo breviores, quas quiescens gerit horizzontales porrectas, & simul junctas.

Larva viridis. Pupa tenuissime folliculata. Quies hebdomadis.

Habitat in Lonicera Xylosteo, Cheiranthi floribus.

490. A. Marginella.

A. alis fusco nitidis marginalibus niveis. *F. Sp.* 307. 8.
*Goeze* IV. 159. 245. *der Schneerand*.

Habitat in Juniperetis non rara.

491. A. Fasciella.

A. alis auratis fascia fusca antennis apice albis. *F. Sp.* 310. 23.
*T. Schieffermyllerella W. V.* 142. 20.
*Goeze* IV. 158. 240.
*Villers. Ent.* 2. 505. 983.

Habitat in nemoribus.

492. A. Aristella.

A. albida, alis linea argentea. *F. Sp.* 308. 15.
*P. Aristella Linn. Syst. Nat.* 894. 416.
*Goeze* IV. 3. 416.
*Villers. Ent.* 2. 481. 907.

Corpus teres longiusculum. Palpi porrecti capite longiores, aristati. Facile dignoscitur.

Habitat ruri minus frequens.

493. A. Oppositella.

A. alis fuscis, maculis duabus oppositis flavis, posticis fuscis. *F. Sp.* 310. 26.
*Villers. Ent.* 2. 506. 986.
*Goeze* IV. 158. 242.

Affinis A. Sulphurellae, distincta tamen.

Habitat in silvis non rara.

## CLVIII. *PTEROPHORUS.*

*Palpi* duo lineares. *Lingua* exserta membranacea. *Antennae* setaceae.

494. P. Monodactylus.

P. alis patentibus linearibus indivisis. *F. Sp.* 310. 1.
*Phalaena Monodactyla Linn. Sist. Nat.* 899. 453. *Fn. Sv.* 1452.
*Rheaum. Ins.* 1. *t.* 20. *f.* 12.–16.
*Villers. Ent.* 2. 530. 1083.

Habitat in Convolvulo.

495. P. Tesseradactylus.

P. alis patentibus fissis cinereo-nebulosis, posticis fuscis. *F. Sp.* 311. 4.
*Ph. Tesseradactyla Linn. Syst. Nat.* 900. 456. *Fn. Sv.* 1454.
*Alucita Leucodactyla W. S.* 146. 7?
*Goeze* IV. 177. 70.

Habitat in Pulmonaria officin.

# CLASSIS SEPTIMA.

## RYNGOTA.

---

## CLX. *MEMBRACIS.*

*Os* rostro inflexo. *Labium* corneum, elongatum apice membranaceum subulatum. *Antennae* subulatae fronti insertae.

496. M. Genistae.

Thorace inermi fusco, postice producto, abdomine dimidio breviore. *F. Sp.* 318. 17.

*Cicada* thorace inermi pone producto. *Geoff. Ins.* 2. 224. 19.

*M. Cornuta* duplo minor, & ab ea presertim distincta thorace inermi, obtuso, convexo.

Habitat in Genista. Lecta saepius in Spartio Junceo, m. Jul.

## CLXI. *TETTIGONIA.*

*Os* rostro vagina biarticulata gulae inserta. *Antennae* setaceae.

497. T. Montana.

Abdominis segmentis margine rubellis. *Scop. Ann. hist. Nat.* 5. *p.* 109. *n.* 108.

Duplo minor *T. Orni*. Caret seriebus punctorum in alis quas habet *T. Orni*, a qua etiam differt corpore supra fusco-cinereo, oculis nigris, alis excoloribus, excepta basi quae rubet; tibiis anticis crassis tridentatis.

Habitat Florentiae in montuosis non frequens.

## CLXII. *CICADA.*

*Os* labio rotundato apice setaceo. *Antennae* filiformes sub oculis insertae.

### 498. C. INTERRUPTA.

Elytris flavis, linea nigra duplici interrupta longitudinali.
*F. Sp.* 325. 24. *Linn. Syst. Nat.* 710. 35. *Fn. Sv.* 889.
*Petiv. Gazoph. t.* 61. *f.* 10.
*De Geer Ins.* 3. 186. 7. *t.* 12. *f.* 6.
*Geoff. Ins.* 1. 419. 9.
*Schrank. Enum.* 494.
*Fuesly. Ins. Helv.* 24. 462.
Habitat in plantis rarior.

### 499. C. FLAVA.

Flava unicolor. *Vill. Ent.* 1. 463. 21.
*Schrank. E. I.* 497.
*Gron. Zooph.* 681.
*Mull. Linn. Nat. Cl.* v. *p.* 463.
Habitat in plantis.

### * 500. C. FLAVESCENS.

Flavescens, fronte, thoraceq. punctis duobus nigris.
Minima. Oculi magni nigri. Abdomen fuscum. Alae aqueae margine exteriori flavescente.
Habitat in plantis.

### * 501. C. PALLIDA.

Pallida, capite punctis duobus atris, elytris pallidis nervis obscure anastomosantibus.
Parva.
Capta in Aro.

### * 502. C. DESERTRIX.

Alis hyalinis, nervis nigro punctulatis, bifasciatis; antennis apice globosis.

Statura, ac facies *C. Nervosae*, at triplo minor. Frons plana fusca. Antennae capite breviores, sub oculis insertae constant articulis duobus globosis. Alae superiores albo-hyalinae praeter punctula nigra in nervis, gerunt quoque fascias duas, prima prope basin obliqua, altera media recta ad marginem internum diramata. Nervi pone hanc saepe fuscescentes. Alae inferiores albo-hyalinae immaculatae. Pedes omnes pallidi confertim nigro annulati. Proprii generis videtur.

Lecta saepius in plantis aquaticis.

## CLXIII. *CERCOPIS.*

*Os* labio abbreviato truncato emarginato. *Antennae* filiformes, sub oculis insertae.

### 503. C. Coleoptrata.

Elytris totis coriaceis alas obtegentibus griseis, fusco irroratis. *F. Sp.* 330. 9.
*Villers. Ent.* 1. 459. 10?
*Panzer. Faun. German. Heft.* 11. *t.* 6.

Magnitudo *C. Sanguinolentae*. Puncta duo fusca distincta in medio fere elytrorum. Variat elytris ad marginem crassiorem late fusco maculatis.

Habitat in plantis, saepeq. lecta quotannis m. Aug. & Septemb. in horto Pisano Academico.

### * 504. C. Os nigrum.

Testaceo-rufa capite pedibusq. nigris.

Statura, ac magnit. *C. Unifasciatae*. Thorax ac elytra testaceo-rufa; caput vero & pedes nigra. An proxima *C. Os album. Villers.* 1. 474. 75? Sed os in nostris nigrum.

Habitat in silvis frequens.

## CLXIV. *NOTONECTA.*

*Os* rostro arcuato. *Labium* conicum elongatum subulatum. *Antennae* sub oculis insertae.

505. N. Minutissima.

*Long.* 1. *l. lat.* $\frac{1}{2}$ *l.*

Grisea, capite fusco elytris truncatis. *F. Sp.* 332. 4.
*N. Minutissima*, elytris cinereis maculis fuscis longitudinalibus. *Linn. Syst. Nat.* 713. 3. *Fn. Sv.* 905.
*Geoffroy. Ins.* 1. 477. 2.
*Fuesl. Ins. Helv.* 24. 470.
*Panzer. Fn. Germ. Heft.* 11. 14.
Habitat in aquis non rara.

## CLXVIII. *ACANTHIA.*

*Rostrum* sub capitis apice insertum. *Labium* nullum. *Antennae* ante oculos insertae.

506. A. Umbraculata.

Ferruginea, thorace marginato, margine antice, scutelloq. apice albis. *F. Sp.* 337. 15.
Descriptio *Fabricii* optima, cui addendum, pedes antennaeq. albo nigroq. annulatae.
Habitat ineunte vere iuxta sepes, frequens in Aparine.

## CLXIX. *CIMEX.*

*Labium* elongatum subulatum annulatum. *Antennae* filiformes ante oculos insertae.

### * 507. C. Apuanus.

Oblongus, rubro nigroq. varius, thorace lunulis duabus nigris: elytrorum parte coriacea rubra, puncto medio nigro; membranacea nigra, puncto medio albo.

Statura, & magnitudo omnino *C. Italici Fn. Etr.* 2. 241. 1323. *t.* 7. *f.* 1. cujus nomen a *D. Gmelin* usurpatum pro *C. Bipunctato F.* indicando permutandum. Caput nigrum. Antennae quadrarticulatae nigrae. Thorax antice, & lateribus ruber, maculis duabus lunatis nigris antice vix disiunctis, latis, & spatium trigonum rubrum in medio constituentibus. Scutellum nigrum. Elytri corium rubrum puncto medio rotundo atro. Apex membranaceus niger puncto marginis interioris albo, quod elytris iunctis unicum apparet. Alae nigrae. Subtus totus niger medio tantum abdominis rufo. Differt a *C. Italico* thorace diversimode picto; puncto elytrorum albo; alis nigris (in *Italico*) albis; ano nigro; pedibus anticis non crassioribus.

Habitat Apuae ad Macram fluvium in Tusciae confinio.

### * 508. C. Phoeniceus.

Oblongus, niger, thorace postice, elytrisq. purpurascentibus; macula ad angulum corii internum atra.

Statura omnino ac magnitudo *C. Pini*, cui affinis. Caput antennaeq. nigrae. Thorax antice niger, postice purpureo-marginatus. Scutellum nigrum. Elytra purpurea, macula ad angulum corii internum ovato-oblonga atra, in singulo elytro singula. Pars elytrorum membranacea aterrima, alboq. subtilissime marginata. Alae albae. Subtus totus niger.

Habitat Florentiae.

### 509. C. Rolandri.

Oblongus ater, alis macula rhombea flava. *F. Sp.* 367. 175. *Linn. Syst. Nat.* 729. 98. *Fn. Sv.* 957.

*Cimex* oblongus atrofuscus, alarum macula flava. *Geoff. Ins.* 1. 459 51.

*Cimex fulvo-maculatus. De Geer Ins.* 3. 294. 33.

*Sulz. Ins. t.* 11. *f.* 76.
*Fuesl. Ins. helv.* 26. 111.
*Schaeff. Ic. t.* 87. *f.* 7.
Habitat in silvis frequens.

510. C. Limbosus.

*Long.* 2. *l. lat.* 1. *l.*

Ovatus, niger, elytrorum limbo exteriore albo. *Villers. Ent.* 1. 504. 78. *la Bordeé.*
*Ent. Paris.* 1. 217. 74. *la Punaise noire à bordure blanche.*
Omnino similis statura, ac magnitudine *C. Morioni Schrankii*, seu *C. Fumoso Ent. Par.* Differt tantum elytrorum limbo exteriore albo.
Habitat in sepibus primo vere frequens.

* 511. C. Testaceus.

Ovatus testaceus oculis, antennarumq. apicibus nigris.
Magnitudo *A. Clavicornis*. Corpus fere totum testaceum. Antennae quadrarticulatae, articulo ultimo nigro crassiori. Oculi nigri. Thorax punctulatus, inferne cinerescens. Elytrorum medium puncto minutissimo rufo notatum. Alae albae.
Habitat in plantis.

* 512. C. Pallidus.

Ovatus pallide-rufus, capite, thorace, elytrorumq. apicibus fuscis, antennis setaceis pilosis.
Statura ac magnitudo fere praecedentis. Antennae setaceae ad apicem praesertim pilosae. Caput parvum. Rostrum, pedes, antennae, elytra pallide-rufa: reliqua obscuriora. Alae albae. Magnitudine, statura, & colore *C. Pallidus*, *Testaceus*, ac *Invidus Fn. Etr.* inter sese non admodum differunt, at species omnes distinctae.
Lectus in fenestris.

* 513. C. Saltator.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ *l. lat.* 1. *l.*

Nigro-aeneus, apterus, saltatorius, elytris coriaceis, fronte, pedibus, antennisq. pallide flavis.

Affinis *C. Saltatorio*, cujus descriptio *Geoffroyana Ins.* 1. 472. 76. in plurimis huic nostro convenire videtur. Statura *C. Flavicollis*, at triplo minor. Corpus magis ovatum, quam oblongum. Antennae flavae corpore longiores. Caput antice flavum. Oculi nigri. Thorax subquadratus aeneo-niger. Scutellum, elytra, pectus, abdomen aeneo-nigra immaculata. Elytra tota coriacea, ad apicem gibba retusa, & paullulum dilatata. Pedes pallidi ungulis nigris, Postici longiusculi femoribus incrassatis nigris. Alae nullae. Salit. An sit ad *C. Saltatorium Linn.* referendus, judicent alii.

Raro lectus.

## CLXXIV. *COCCUS.*

*Rostrum* vagina, setisq. pectoralibus. *Antennae* filiformes.

* 514. C. Artemisiae.

Testa grisea, clypeolis octo cincta marginalibus, albo-granulatis.

Femina testudiniformis octogona, superius cincta clypeolis octo marginalibus, centroq. granulo albo notatis; inferius fusca. Marem non vidi. Granula alba aetate obsolescunt. *C. Rusci* affinis.

Habitat in ramulis Artemisiae campestris m. Septemb.

# CLASSIS OCTAVA.

## ANTLIATA.

---

### CLXXVII. *TIPULA*.

*Haustellum* absq. vagina. *Palpi* duo porrecti filiformes, ad basin proboscidis. *Antennae* filiformes.

* *Alis patentibus*.

515. T. Rivosa.

Alis hyalinis, rivulis maculaq. nivea. *F. Sp.* 400. 2. *Linn. Syst. Nat.* 971. 2. *Fn. Sv.* 1738.
*Tipula* maxima alis majoribus fusco, & albo variegatis. *Raj. Ins.* 72. 2.
*Tipula* alis albis fusco variegatis. *Geoff. Ins.* 2. 554. 2.
*Tipula Rivosa Scop. Ent. Carn.* 846.
*Tipula Gigantea Schrankii. E. I.* 845?

Mea specimina exacte conveniunt cum descriptione *Geoffroyana* quae accuratissima omnium. Figura vero *T. Rivosae* a *De Geerio exhibita t.* 6. 341. 2. *t.* 19. *f.* 1. differt a nostris margine inferiore alarum immaculato.

Habitat in pratis.

516. T. Pilipes?

Cinerea, alis striatis fuscescentibus tibiis anticis pilosis. *F. Mant.* 324. 33.

Media. Corpus cinereum thorace substriato. Anus rufus forcipatus in nostra, pedesq. omnes longi, flavescentes pilosissimi. Antennae nigrae, subpilosae, primis duobus articulis pallidis.

Habitat in hortis.

517. T. NIGRA.

Alis fuſcis, corpore atro. *F. Sp.* 404. 18. *Linn. Syſt. Nat.* 972. 13. *Fn. Sv.* 1748.

*Geoff. Ins. t.* 2. 559. 10.

*Schrank. E. I.* 864.

*Fn. Fridr. n.* 673.

Media. Alae fuſcae vaſis nigricantibus, punctoq. marginali. Habitat in pratis, & hortis non rara.

518. T. PRATENSIS.

Thorace variegato, abdomine fuſco, lateribus flavo maculatis, fronte fulva. *F. Sp.* 403. 13.

*T. Pratenſis* alis ſubcinereis, vaſis fuſcis, punctoq. marginali obſcuro, fronte fulva. *Linn. Syſt. Nat.* 972. 10. *Fn. Sv.* 1745.

*Scop. E. C.* 848.

Habitat in herbidis prope flumina m. April.

* * *Alis incumbentibus*.

519. T. PLUMOSA.

Thorace virescente, alis albis puncto fuſco, antennis plumoſis. *F. Mant.* 324. 37. *Linn. Syſt. Nat.* 974. 26. *Fn. Sv.* 1758.

*T.* fuſca thorace virescente, alis pellucidis puncto nigro. *Geoffr. Ins.* 2. 560. 16.

*T. Annularis*, griſeo-fuſca, antennis filiformibus, maris plumoſis, abdomine faſciis nigris, alis hyalinis puncto nigro.

*De Geer Ins.* 6. 379. 18. *t.* 19. *f.* 14. 15.

*Scop. E. C.* 841. *Schrank. E. I.* 866.

*Rheaumur Ins.* 5. *t.* 5. *f.* 10.–4. *t.* 14. *f.* 12.

*Villers Ent.* 3. 372. 50.

Habitat circa lacus, frequens.

520. T. HIRTA.

Hirſuta, alis deflexis, ovatis, ciliatis, albo, nigroq. teſſellatis. *F. Sp.* 411. 61. *Linn. Syſt. Nat.* 977. 48. *Fn. Sv.* 1772.

*Bibio* alis deflexis cinereis, ovato lanceolatis, nebuloso maculatis. *Geoff. Ins.* 2. 572. 5.
*De Geer Ins.* 6. 424. 31. *t.* 27. *f.* 10. 11.

Similis *T. Phalenoidi*, at alae squammosae nigro maculatae apice albo, non acuto.

Habitat in Arctio lappa. Mihi lecta saepius in foliis Citri Medicae ad muros.

* 521. T. Cuprinervis.

Nigra, pedibus antennisq. pallidis; alis griseo-hyalinis, nervis nebulosis cupreo viridibus.

*C. Pipiente* paullo major.

Lecta in fenestris m. Octob.

* 522. T. Penicillata.

Atra, nitens, alis albis; antennis penicillatis niveis, basi nigris.

Minutissima, & *Culice* quadruplo minor. Corpus totum aterrimum. Antennae plumosae penicillo denso basi atro, apice niveo, quae ob corporis nigritiem eleganter apparent. Alae albae incumbentes.

Differt a *T. Atra Geoff. Ins.* 2. 567. 26. quae huic proxima, antennis niveis.

Percurrit aestate folia juniora Quercus Roboris.

## CLXXVIII. *BIBIO.*

*Haustellum* setis tribus, vaginaq. univalvi. *Palpi* brevissimi. *Antennae* basi connatae acuminatae.

* 523. B. Italica.

Hirta, atra, thorace lateribus villis flavescentibus, abdomine lato fasciis, punctisq. villoso-argenteis: alis nigris ad marginem crassiorem hyalino-punctatis, margineq. tenuiori sinuato hyalino, absq. punctis nigris distinctis.

Cum ad species jam descriptas minus referenda esse videretur, iconem exhibere curavi in *Tab.* I., ut judicent peritiores.

*B. Maurae*, ac *Aethiopi* proxima. Statura eadem; magnitudo variat. Abdominis fasciae argenteae aetate, ac attritu saepe obliteratae. Ad costam alarum puncta quatuor duplicia, longitudinalia, hyalina. *Schaefferi figura Ic. t.* 76. *f.* 9. a *Fabricio* citata in *Syst. Ent.* pro *B. Maura* indicanda, huic potius competere videtur, *Mauram* enim exhibet *Schaeff. fig.* 8. *t.* 76. uti in *Fab. speciebus* emendatum.

Habitat in silvis sat frequens.

## CLXXIX. *STRATIOMYX*.

*Haustellum* seta unica absq. vagina. *Palpi* breves, capitati. *Antennae* acuminatae, basi connatae.

### * 524. S. CONFUSA.

Scutello bidentato nigro, thorace aureo-pubescente; abdomine lateribus luteo-maculato, subtus toto flavo.

Statura *S. Chamaeleontis*, cui proxima, at dimidio minor. Caput nigrum immaculatum ore cinereo pubescente. Thorax niger aureo obsolete pubescens. Scutellum nigrum dentibus duobus flavis. Abdomen supra fascia lata nigra dorsali usq. ad ultimum segmentum producta, tres utrinq. maculas luteas subrotundas constituente, quarum ultima minor. Subtus totum flavescens. Anus flavus. Pedes flavi femoribus apice excepto, nigris. Alae margine crassiori flavescente. Differt a *S. Chamaeleonte* magnitudine semper duplo minori, capite nigro immaculato, thorace aureo-pubescente, abdomine subtus toto flavo.

*S. Splendens* F. mihi ignota, at magnitudine aliisq. notis distincta videtur.

Habitat in silvis m. Jun. & Jul. frequens.

525. S. Trilineata.

Scutello bidentato, corpore viridi, thorace lineis, abdomine fasciis nigris. *F. Sp.* 418. 9.

*Musca Trilineata Linn. Syst. Nat.* 2. 980. 6.

*Stratiomys. Geoff. Ins.* 2. 482. 7.

*Stratiomys Fasciata Furcroy. Ent. Par.* 2. 7. 468.

*Panz. Fu. Germ. Heft.* IV. *f.* 13.

Corpus viride magnitudine vix *Muscae domesticae*. Os antennaeq. testaceae. Oculi aurato-virides fascia transversa testacea. Thorax lineis tribus longitudinalibus atris, postice connexis, mediaq. latiori. Abdomen ovatum fasciis quatuor nigris extrorsum angustioribus. Pectus nigrum. Pedes pallidi. Alae albohyalinae.

Habitat in aquosis rarior.

526. S. Mutica.

Scutello inermi, atra, abdomine niveo, apice atro. *F. Mant.* 332. 20.

*Musca Uliginosa* antennis clavatis mucronatis, abdominis dorso albo: segmentis duobus penultimis striga alba. *Linn. Syst. Nat.* 2. 982. 22.

*Musca Mutica Villers Ent.* 3. 423. 45.

Statura *S. Trilineatae* qua paullo minor. Caput atrum puncto interdum sub antennis albido. Antennae nigrae. Thorax atro-violaceus nitidus. Halteres albi. Abdomen rotundum depressiusculum, laeve, nitidum, basi atrum, dorso album, & in nostris, quasi myrrhinum lactei coloris: segmenta duo fere ultima linea transversa lata emarginata nigra. Subtus atrum, medio ac margine albis. Femora nigra geniculis albis. Tibiae tarsiq albidi. Alae albae.

Habitat in locis paludosis rarior.

## CLXXXI. *SYRPHUS*.

*Hauſtellum* ſetis quatuor absq. vagina. *Palpi* duo baſi ſetarum exteriorum inſerti. *Antennae* breves, ſubclavatae, ſetariae.

### 527. S. METALLINUS.

Antennis ſetariis, aeneus, nitens, antennis nigris. *F. Sp.* 431. 52.

Frons, ac totum corpus aeneum nitidum ad plumbeum vergens. Antennae breves ſetariae nigrae, patellis inferius rufeſcentibus. Abdominis dorſum planum ovatum. Squammae halterum albae, ciliatae.

Habitat in plantis minus frequens.

### 528. S. LUGUBRIS.

Antennis ſetariis, niger immaculatus. *F. Sp.* 431. 50. *Villers Ent. t.* 3. 121. *t.* 9. *f.* 19.

Statura *S. Ruficornis*, at paullo minor. Totus niger alis ſolis albis macula magna fuſca. Antennae longiuſculae.

Lectus in Chamomillae floribus, rarior.

### 529. S. ROSARUM.

Antennis ſetariis, nudus, thorace aeneo nigro, abdomine atro: maculis duabus flavis. *F. Mant.* 341. 71.

Noſtra ſpecimina omnino conveniunt cum deſcriptione *Fabricii*.

Habitat flores non rarus.

### * 530. S. CONSTANS.

Antennis ſetariis, ater, thorace, abdomineq. ſupra vellere griſeo-flaveſcente tomentoſis; femoribus poſticis dentatis, tibiisq. compreſſo-gibbis emarginatis, apiceq. ungulatis.

Statura, ac magnitudo *S. Tenacis*, cui valde affinis. Antennae nigrae fronte ſub antennis cinereſcente. Oculi fuſci. Thorax, ac abdomen eodem modo denſo vellere griſeo-flaveſcente ſuperius obtecta, inferius aterrima. Pedes omnes

atri, posticiq. femoribus crassioribus valido dente armatis, tibiisq. compresso-gibbis, interius ad apicem emarginatis, apice ipso ungulato. Alae albae.

Quamvis *S. Tenax* admodum variet, tamen hic noster differt ab eo, colore, & villo abdominis densiore, uti etiam diversa tibiarum posticarum structura. Addendum quod *S. Tenax* occurrit ubiq. & nimis frequens, hic vero rarissimus, & una vice tantum capti tres similes.

Habitat in silvis supra filices.

### * 531. S. Acanthodes.

*Long.* 3. $\frac{1}{4}$ *l.* *lat.* 1. $\frac{1}{3}$ *l.*

Antennis setariis, tomentosus, fronte thoraceq. aeneis, abdomine atro nudiusculo, cingulis tribus albidis interruptis: femoribus posticis crassioribus, apice interno spinosis.

Magnitudo, ac statura *C. Aenei Scop.* 967. Frons inter oculos aenea lata tomentosa. Antennae ferrugineo-fuscae. Oculi fusci. Thorax aeneus flavo-tomentosus, scutello concolori. Abdomen atrum fere glabrum, cingulis tribus albidis vix interruptis. Pedes subferruginei femoribus nigris, posticisq. crassioribus, apice interno multispinoso. Alae hyalinae.

Habitat in floribus.

### * 532. S. Megacephalus.

Antennis setariis subtomentosus, thorace lineato, abdominis segmentis primis duobus latere pallide-flavis pellucidis; capite, oculisq. magnis subflavis, fusco punctatis.

Statura, ac magnitudo *S. Penduli*, eodemq. fere modo maculatum abdomen. Differt ab eo capite, oculisq. magnis flavescentibus, undiq. fusco punctatis, antennis ferrugineis, thorace a tergo lineis quinque albidis, & quatuor aeneolucidis latioribus, alternantibus. Sternum nigrum. Caput magnum, & uti in *T. Italico* conformatum. Frons, seu oculorum pars superior obscurior. Pedes aeneonigri tibiis ad basin flavescentibus tomentosis. Femora postica vix

crassiora. Alae albae.
Lecti plures ad Pastinacae flores m. Jul.

* 533. S. Pisaeus.

Antennis setariis nudus, ater; pedibus antennisq. flavis seta nigra.
Magnitudo fere *S. Ichneumonei*. Corpus elongatum gibbum. Antennae flavae deflexae seta porrecta crassiuscula nigra. Alae ad marginem crassiorem fuscae.
Habitat flores in silvis rarus.

## CLXXXII. *MUSCA*.

*Haustellum* seta unica absq. vagina. *Palpi* duo porrecti extrorsum crassiores. *Antennae* breves clavatae seta instructae.

* *Ant. plumatis.*

534. M. Meridiana.

*Long. 5. l. lat. 2. l. & ultra.*

Antennis plumatis, pilosa nigra, fronte aurea, alis basi ferrugineis. *F. Sp.* 435. 3. *Linn. Syst. Nat.* 989. 63. *Fn. Sv.* 1827.
*Musca* antennis plumatis, pilosa nigra, fronte flava, alis basi flavo-testaceis. *De Geer Ins.* 6. 55. 2.
*Geoffr. Ins.* 2. 495. 5.
*Musca Meridiana Scop. Ent. Carn.* 867.
*Schaeff. Ic. t.* 108. *f.* 7.
Nigerrima, pilosa. Frons utrinq. aurea; alarum basis, & halterum squammae ferrugineo-flavae. Halteres nigri.
Raro capta in silvestribus sub finem Septembris. Inveni in stercore bovino recenti.

535. M. Rustica.

Antennis plumatis, grisea, femoribus rufis. *F. Sp.* 440. 26.
Magna, tota grisea, pilosa, femoribus solis rufis.
Habitat Florentiae.

536. M. Testacea.

Antennis plumatis, cinerea, scutello, abdomine, pedibusq. testaceis. *F. Sp.* 440. 22.
*Villers Ent. t.* 3. 481. 180.
Praecedente minor. Antennae nigrae brevissimae plumatae.
Habitat in plantis rarior.

537. M. Canina.

Antennis plumatis, setaria, cinerea, thorace punctis, abdomine strigis nigris. *F. Sp.* 440. 24.
Magnitudo feminae, in nostris, paullo major quam in *M. Pluviali*; maris corpus tenuius. Antennae nigrae, uno tantum latere subplumatae, apiceq. setariae. Caput pilosum fronte nigra, ore cinereo, binis foliolis subrufis lucidis, ante labium porrectis. Thorax subtus cinereus, supra griseus pilosus, lateribus fusco-lineatus. Scutellum cinereum apice nigro-punctato, setoso. Squammae halterum albae. Abdomen cinereum vix pilosum, in femina, ovatum crassiusculum segmentorum incisuris, lineolisq. obliquis dorsalibus, nigro nitidis, spatia triquetra albo-cinerea lateribus, & in medio ita costituentibus, ut totum superius albido maculatum appareat. Pedes nigri femoribus cinereo-nigris, tarsis anticis saepius subtestaceis. Abdominis apex terminatus puncto, seu spatio nigro inter duo lateralia alba. Allata descriptio competit praesertim feminae, in qua haec omnia evidentiora.
Lectae plures sub vesperum in muris Piscinarum horti Acad. Pis. prope aquam.

* 538. M. Leuconyx.

Antennis plumatis atra, alis fuscis, plantis albis.
Statura, ac magnitudo fere *M. Domesticae*. Plantae insolen-

ter albae. Reliqua in definitione dicta. An *M. Sepulchralis* var?
Habitat iuxta sepes.

539. M. Amentaria.

Antennis plumatis, abdomine aureo-fusco, basi truncato, thorace fusco setoso. *Scop. Ent. Carn.* 898.
*Villers Ent. t.* 3. 168.
Statura, ac magnitudo *M. Caesaris*.
Habitat in amentis salicis m. Mart.

540. M. Fungorum.

*Long.* 1. $\frac{2}{3}$ *l.*

Antennis plumatis, supra fuscescens, subtus, pedibusq. pallidioribus. *Scop. Ent. Carn.* 903.
M. antennis oblongis plumatis, pilosa, corpore ovato brevi, thorace griseo-cinereo, abdomine, pedibusq. flavo rufis. *De Geer t.* 6. 89. 89. *t.* 5. *f.* 5. 6?
*Villers t.* 3. 478. 173.
*Roesel. Musc. t.* 8. *f.* 3.
Habitat in boletis putrefactis frequens, copiosa.

541. M. Coleoptrata.

*Long.* 1. $\frac{3}{4}$ *l.*

Antennis plumatis, nigra, alis arcuatis fuscescentibus, corpore nigro, ore, thorace subtus, pedibusq. albidis. *Scop. Carn.* 907.
Iners, superne nitens. Abdomen ellipticum. Alae pone basin costa obscuriores, rigidulae, arcuatae, gibbae. Genua postica nigra.
Semel lecta ruri.

* * *Antennis setariis.*

542. M. Radicum.

Antennis setariis, nigra, abdomine cinereo nigro fasciato. *F. Sp.* 443. 35.

*M. Radicum*, ant. setariis pilosa, abdomine cinereo, linea dorsali, cingulisq. quatuor nigris. *Linn. Syst. Nat.* 992. 79. *Fn. Sv.* 1839.

*Villers Ent.* 3. 488. 197.

Simillima *M. Domesticae*, sed dimidio minor.

Habitat in radicibus Raphani.

* 543. M. GASTRODES.

Antennis setariis, atra glabra, abdomine lato gibbo hemisphaerico, antennis, tibiis, tarsisq. pallidis; alis ad basin atro-nebulosis.

Paullo major *M. Rorali*. Caput parvum, nigrum glabrum septo medio, ac margine subnitido. Antennae livido-testaceae. Thorax ater laevis. Halteres nigri. Abdomen latum hemisphaericum, valde gibbum, atrum laeve, ano dehiscente. Femora nigra. Tibiae, tarsiq. albidi. Alae hyalinae expansae, prope basin obscuriores fascia nebulosa, interdum vix apparente.

Lectae plures in Coryli foliis m. Jun.

544. M. TIGRINA.

Antennis setariis, pilosa cinerea, femoribus apice, tibiisq. ferrugineis. *F. Sp.* 144. 42.

Magnitudo *M. Domesticae*. Pilosa, tota cinerea. Thorax nigropunctatus. Scutellum nigrum apice cinereum. Alae albae. Anus stylatus.

Habitat in plantis victitans rapina congenerum.

545. M. RORALIS.

Antennis setariis, aterrima, alis apice subalbicantibus. *F. Sp.* 144. 44.

*M. Roralis*, antennis setariis, pilosa aterrima. *Linn. Syst. Nat.* 993. 85. *Fn. Sv.* 1846.

*Scop. Ent. Carn.* 890. *Schrank. E. I.* 941.

*Geoff. Ins.* 2. 523. 74.

Minor *M. Domestica*. Subpilosa. Oculi brunnei. Antennae brevissimae. Halteres nigri. Alae apice albicante.

Habitat in plantis.

546. M. Cellaris.

Antennis setariis, nigra, abdomine pallidiore, oculis ferrugineis. *F. Sp.* 445. 48. *Linn. Syst. Nat.* 992. 87. *Fn. Sv.* 1848.

M. ferrugineo-fusca subpilosa, oculis ferrugineis, alis trinerviis. *Geoff. Ins.* 2. 536. 85

*M. Oenopota. Scop. Ent. Carn.* 905.

*Rheaum. Ins.* 5. *t.* 8. *f.* 7. 11. 12.

Parvula, & potius subrufa quam nigra. Oculi rubelli. Antennae subplumatae.

Habitat in cellis vinariis, etiam in fenestris.

547. M. Fenestralis.

*Long.* 2. *l. lat.* $\frac{1}{3}$ *l.*

Antennis setariis, glabra atra, abdomine supra rugoso, strigis albis, alis fuscis. *F. Sp.* 444. 45.

*M. Fenestralis*, antennis filatis, glabra atra, abdomine supra rugoso, strigis albis, pedibus ferrugineis. *Linn. Syst. Nat.* 981. 14. *Fn. Sv.* 1845.

*Nemotelus Fenestralis* niger, antennis cylindricis muticis, abdomine oblongo, fasciis quatuor albis, alis nigro-fuscis. *De Geer Ins.* 6. 189. 11.

*Villers Ent.* 3. 410. 13.

Statura fere *S. Metallini*, at duplo minor. Corpus totum atro-aeneum, glabrum subnitidum. Caput parvum linea media frontis lucida. Antennae filatae, nigrae, breves, absq. seta laterali. Thorax antice angustatus. Halteres albi. Abdomen oblongum, compressum, segmentis mediis dehiscentibus, saepe margine niveis, apice obtuso. Pedes rufi. Alae in nostris, albohyalinae incumbentes. Strigae niveae latera non attingunt, & omnino desunt in abdomine feminae ova gerentis. Animal tardum, hebes.

E descriptione quam dedimus, minime dubitari potest nostra specimina non esse huc referenda; at haec mox tantum, & semel lecta in fenestris, semperq. inventa insidens Foeniculi foliis, Scirpo, Festuca, aliisq., ubi m. Jul. coit cum femina corpore retrorsum verso, more *Tipularum*. In fe-

nestris vero contra pluries capta sequens habitu, magnitudine, colore diversa.

### * 548. M. Albicincta.

*Long.* 1. $\frac{1}{5}$ *l. lat.* $\frac{1}{3}$ *l.*

Antennis filatis, cinerescens, glabra, oculis, pedibusq. rufis, abdomine nigro, segmentis mediis margine niveis.

Paullo major *M. Flava*. Oculi subrufi. Antennae filatae, breves muticae, supra fuscae, inferius rufescentes. Thorax cinereus. Scutellum albidum, flavescens. Abdomen obovatum, depressum, apice acuto, supra nigrum segmentis tribus mediis margine late niveis; subtus cinereo-fuscum segmentis omnibus tenuissime niveo marginatis. Halteres albi. Pedes ferruginei tarsis saepe fuscis. Alae albae. Scutellum in hac semper flavescens, nota costans, ac optima.

Habitat in fenestris, & locis umbrosis.

### 549. M. Petronella.

*Long.* 3. *l. lat.* $\frac{1}{2}$ *l.*

Antennis setariis, livida, fronte rubra, pedibus elongatis, testaceis, geniculis nigris. *F. Sp.* 447. 57.

*M. Petronella*, antennis setariis, pilosa glabra livida, fronte rubra, cauda incurvata, pedibus elongatis testaceis. *Linn. Syst. Nat.* 994. 96. *Fn. Sv.* 1856.
*Schrank. E. I.* 946.

Habitat ad aquas, velociter cursitans supra aquas quietas puriores, & facillime avolans.

### 550. M. Corrigiolata.

*Long.* 3. *l. lat.* $\frac{1}{6}$ *l.*

Antennis setariis, nigra, pedibus elongatis luteis, femoribus nigro annulo. *F. Sp.* 447. 59. *Linn. Syst. Nat.* 995. 100.
*Schrank. E. I.* 949.

Statura accedit ad *Tipulas*. Corpus nutans, elongatum an-

gustum nigrum. Pedes elongati nigri; femoribus luteis annulo ad apicem nigro. Caput singulariter conformatum galeae faciem exhibens, fronte tuberculosa, flavescente, cujus basi inhaerent antennae nigrae, seta alba terminali. Oculi sublimes, posticeq. prominuli, & disiuncti, antice vero immersi, lineaq. tenui alba ad os producta coaliti. Collum elongatum. Alae angustae, abdomine vix longiores. Halteres albi. Abdomen subtus flavescens apice, in masculo obstuso; in femina acuminato.

Lecta saepius in locis humentibus supra folia Viciae Fabae, ineunte Majo.

551. M. Spinipes.

Antennis setariis elongatis, rufa, femoribus posticis crassioribus, longioribus, subtusq. spinosis, punctis duobus nigris supra, totidemq. sub antennis. *Scop. Ent. Carn.* 919.

*M. Rufifronti*, & *Marginatae* proxima, at magis *S. Sphaegeo*, cui statura, & facie simillima. Differt tantum colore corporis, & magnitudine fere duplo minori. Caput supra rufum, subtus tumidum, subargenteum, Oculi fasciis duabus rufis. Puncta duo nigra supra, totidemq. sub antennis. Antennae elongatae, ferrugineae seta alba porrecta. Thorax rufescens lineis obscurioribus parum conspicuis. Abdomen oblongum, rufescens, subtus pallidum. Pedes rufi femoribus posticis crassioribus, longioribus, subtusq. spinosis uti in *S. Sphegeo*. Alae puncto medio fusco.

Habitat in plantis; frequens in horto Acad. Pisano m. Septemb. & Octob.

552. M. 4-fasciata.

Antennis setariis, pallida, abdomine fasciis quatuor atris, alis albis. *F. Sp.* 448. 69.

Corpus statura omnino *M. Rostratae*, at paullo minus, pallidum fasciis quatuor abdominis atris. Alae albae immaculatae. Pedes elongati pallidi. F. In nostris oculi subvirides; reliqua similia.

Habitat in plantis non frequens.

553. M. Diaphana.

Antennis setariis, thorace aeneo, abdomine cinereo, primo, secundoq. segmento lateribus diaphanis. *F. Sp.* 448. 70.

Statura, & magnitudo *M. Ungulatae*. Antennae seta elongata. Oculi rubri linea frontis argentea divisi. Thorax aeneo-cyaneus, holosericeus, pilisq. raris aspersus. Abdomen conicum, tenue, albo-sericeum, primo segmento, & vix secundo (certa incidentia lucis) testaceo pellucidis. Pedes longiusculi, fusci, tibiis pallidis. Alae albae, immaculatae. Thorax in altero sexu, colore differt minus cyaneo.

Habitat in sepibus m. April.

554. M. Stellata.

Antennis setariis, cinerea, alis albis apice macula rotunda, radiata. *Ent. Par. l'Asterisque. Villers Ent.* 3. 335. 333.

Affinis *M. Sonchi*. Parva, cinerea. Thoracis, abdominisq. apex cinereus. Alae albae macula nigra radiata.

Habitat in Arctio lappa aliisq. haud infrequens.

555. M. Quadripunctata?

Antennis setariis, flava, abdomine punctis nigris quatuor. *F. Sp.* 453. 93?

Statura, ac magnitudine cum *M. 4-punctata* F. convenire videtur, at in nostra, caput inter oculos, antennaeq. flavae patellis deflexis, setula longiuscula nigra. Oculi fusco-rufi. Thorax cinereus, hirtus. Scutellum prominens. Abdomen flavum nudum fere pellucidum, postice ad latera punctis utrinq. duobus nigris, anticis multo majoribus, subquadratis, posticis minutissimis, & rotundis. Halteres flavi. Pedes flavi tibiis, tarsisq. anticis nigris. Alae albae.

Rarissime lecta in Quercus foliis.

556. M. Cerasi.

Antennis setariis, alis albis, fasciis fuscis inaequalibus, posticis exterius connexis. *F. Sp.* 453. 99. *Linn. Syst. Nat.* 998. 124. *Fn. Sv.* 1878.

*Musca* antennis setariis, pilosa rufa, pedibus flavo-testaceis,

oculis viridibus, scutello luteo, alis albis fasciis inaequalibus flexuosis fuscis. *De Geer Ins.* 6. 50. 19.
*Rheaum. Ins.* 2. *t.* 38. *f.* 22. 23.
*Red. vivent.* 264.
Magnitudo *M. Heraclei*, & *Cardui*.
Habitat larva in Cerasorum nucleis.

* 557. M. CORYLI.

Antennis setariis, alis nigro maculatis, basi, punctisq. tribus intermediis, albis.

Paullo minor praecedente. Caput ore antennisq. pallidis. Oculi subvirides. Thorax ater laevis nitidus, scutello concolori, pilis quibusdam raris hispido. Halteres albi. Abdomen ovatum atrum laeve nitidum, ano stylato in femina. Pedes testacei. Alae basi & lateribus albae, macula magna nigra implicata, nexiformi, fere totam alam occupante, & ramulos, seu strias angulatim e centro ad utrumq. marginem exerente, in cujus medio puncta tria alba longitudinaliter posita, ac aequali spatio distincta. Incedit alis expansis. Mas multo minor femina.

Tractu temporis lectae tres, aut quatuor in Coryli foliis.

* M. 558. CINERARIA.

Antennis setariis, cinerea, abdominis dorso, punctis duobus atris lucidis.

Paullo major *M. Pluviali*. Habitus *M. Larvarum*. Caput cinereum linea frontis, antennisq. rufis. Oculi nigri. Abdomen cinereum lateribus, & apice subrufum punctis duobus atris lucidis in medio secundi, & tertii segmenti positis. Pedes subrufi tarsis nigris. Alae albae immaculatae.

Captae duae in floribus.

* 559. M. MACROCEPHALA.

Antennis setariis, atra nitens, glabra, capite thorace majore: tibiis, alarum basi, halteribusq. flavis.

Statura, & magnitudo fere *M. Domesticae*. Antennae nigrae prope os inhaerentes. Caput magnum atrum subtuberculo-

sum, fronte lata nigra, setulis quibusdam hirta. Thorax, & abdomen atra nitida glabra. Halteres flavi. Femora nigra. Tibiae, tarsiq. flavi. Alae albae, basi flavae, apice macula nigra triangulari, uti in *M. Vibrante*.

Habitat in plantis non frequens.

* 560. M. Gibba.

Antennis setariis, aterrima gibba, abdomine rotundo compresso, tarsis posticis rufis, alis puncto medio obscuriore.

Magnitudo *M. Roralis*, at statura diversa, magisq. gibba, brevis, aterrima, nitens, etiam glabra exceptis pilis quibusdam frontis, scutelliq. duobus. Abdomen compressum, rotundum. Anus non stylatus, Halteres albi. Pedes antici toti nigri, reliqui nigri tibiis, tarsisq. subrufis, ultimo nigro. Alae incumbentes, obscurae costa, punctoq. medio nigris.

Habitat in plantis.

* 561. M. Helianthi.

Antennis setariis, cinerea, pedibus pallide rufis, ano-stylato nigro, alis albis ad marginem obsolete punctatis.

Proxima *M. Stellatae Ent. Par.*, at diversa.

Lectae plures in Heliantho tuberoso.

* 562. M. Galeata.

Antennis setariis, obscure nigra, ore truncato hiante: tibiis posticis apice appendiculatis.

Statura, ac magnitudo fere *M. Cellaris*. Tota nigra obscura, praeter halteres qui flavi sunt. Antennae nigrae, patellis rotundis, globulosis, apice subcinereis, seta longiuscula. Caput subpilosum labio truncato patulo, certaq. lucis incidentia, cinerescente. Pedes postici elongati, tibiis apice, seu tarso primo appendiculato. Alae immaculatae obscurae. In *Muscis Aquaticis* saepe os patulum observatur.

Incedit super aquas impuras stagnantes, volatu brevi persequutorem evitans.

* 563. M. Hydrophila.

Antennis setariis, abdomine aeneo, labio rotundato albo-lucido.

Statura fere *M. Petronellae*. Labium convexum, rotundatum, truncatum, argenteo-lucidum. Thorax subtestaceus. Alae obscurae puncto, seu potius anastomosi ante medium marginali nigra. Pedes, antennaeq. nigrae. Non confundenda cum *M. Lacustri De Geer Ins. 6.* 194. 15. *t.* 11. *f.* 19. 20. a qua diversissima.

Lecta cum ex aqua vasis plantas aquaticas continentis volasset ad marginem, m. Octob.

* 564. M. Properans.

Antennis setariis, aterrima holosericea, alis albis, costa usq. ad medium nigra, pilosa, pedibus posticis elongatis.

Magnitudo fere *M. Cellaris*, at tenuior. Corpus totum aterrimum tomentosum. Frons nigra pilosa. Antennarum seta longiuscula. Pedes postici elongati crassiusculi. Alae albae hyalinae costa usq. ad medium atra, pilisq. brevissimis ciliata, & eam prope venula ejusdem longitudinis, cum qua jungitur inferius, absq. puncto marginali. Magnitudo variat. *M. Festinanti Scop. Carn.* 946. affinis, & forte eadem; at differt praesertim fronte nigra, non rufa, pedibus posticis elongatis, crassiusculis.

Habitat in plantarum foliis, quae velociter cursitando percurrit, numquam quieta.

* 565. M. Palmipes.

Antennis setariis, nigra gibba, thorace fusco lineato, abdomine atro tomentoso, maculis cinereo-cerulescentibus: tarsis posticis magnis palmatis.

Statura praecedentis, at paullo major. Caput antennaeq. nigrae. Thorax fuscus, cinereo-lineatus. Abdomen gibbum, tomentosum, atrum, maculis utrinq. sex cinereo-cerulescentibus, ultimis quatuor in fasciam connatis. Halteres longiusculi, capitulo magno concavo albido. Pedes nigri. Tarsi postici dilatati, subtusq. albidi. Alae albae nervis fuscis.

Agilis cursitat supra folia, uti M. *Properans*.
Lecta in Phitolaccae foliis.

* 566. M. PRAEDO.

Antennis setariis, pilosa, abdomine cinereo, segmentorum marginibus nigricantibus; fronte aurea, pedibus, antennisq. nigris.

Statura, ac magnitudo fere *M. Lateralis*. Caput pilosum fronte, lineolaq. inter antennas aureis. Labium albidum. Antennae deflexae nigrae, seta nigra. Oculi fusci. Thorax antice griseo-flavescens lineolis abbreviatis nigris, postice niger. Scutellum nigrum. Squammae halterum magnae albae. Abdomen nigrum subcylindricum apice obtuso, segmentis tribus late cinereo-fasciatis, variantibus, pilisq. longis atris ciliatis: subtus totum cum pedibus atrum. Alae fuscae. Proxima videtur *M. Latroni* F.

Habitat in plantis non rara.

## CLXXXIII. *TABANUS*.

*Haustellum* vagina univalvi, setisq. quinque. *Palpi* duo clavati, acuminati. *Antennae* emarginato-acuminatae.

* 567. T. MACULATUS.

Oculis fuscis, tomentoso-cinereus, haustello exserto longiusculo; alis nigro-obsolete maculatis.

Statura, & color *T. Tropici*, cui affinis, sed differt magnitudine paullo minori, alis nigro-obsolete maculatis, longioribus, femoribus fuscis, tibiis, tarsisq. subferrugineis, haustello longitudine thoracis. Oculi modo coaliti, modo linea cinerea disiuncti.

Habitat in pratis, Florentiae.

## CLXXXV. *ASILUS*.

*Haustellum* rectum bivalve basi gibbum. *Antennae* filiformes.

568. A. DIADEMA.
Ater, alis nigris; fronte alba. *F. Sp.* 462. 11.
*Petagna Instit. Entom. t.* 9. *f.* 15.
*Villers Ent.* 3. 599. 30.
Affinis *A. Atro*, sed paullo minor.
Habitat in pratis frequens.

## CLXXXVI. *CONOPS*.

*Haustellum* vagina univalvi abbreviata, setaq. unica. *Proboscis* porrecta ultra basin geniculata. *Antennae* clavato-acuminatae.

569. C. SERICEA.
Antennis filatis, abdomine postice sericeo albo. *Villers. Ent.* 3. 585. 25. *t.* 10. *f.* 26.
Habitat Pisis, in silvis, & pratis, non frequens.

570. C. LUTEA.
Antennis filatis, abdomine pedibusq. luteis. *Vill. Ent.* 3. 585. 24. *t.* 10. *f.* 25.
Statura, ac magnit. praecedentis. Occiput vesiculosum. Puncta duo elevata ad basin thoracis, qui nigro-fuscus. Scutellum, abdomen, pedesq. lutea. Alae flavescentes.
Habitat cum praecedente.

## CXC. *EMPIS*.

*Haustellum*, & proboscis inflexa: haustellum vagina univalvi, setisq. tribus. *Palpi* breves filiformes. *Antennae* setariae.

571. E. CILIATA.
Nigricans, alis costa fusca, pedibus atris: posticis quatuor

pennatis. *F. Mant.* 365. 7.
*Villers Ent.* 3. 570. 9.
Statura, & magnitudo omninò *E. Lividae*.
Habitat in silvestribus.

572. E. Maura.

Nigra, tarsis anticis incrassato-ovatis. *F. Sp.* 471. 4.
*Villers Ent.* 3. 569. 6.
Parva.
Lecta saepius in fenestris, iuxta Arni aquas. m. April.

* 573. E. Flavescens.

Aeneo-nigra, thorace, pedibusq. subflavis, capite atro, femoribus mediis reliquis multo crassioribus.
Vix major *E. Forcipata*. Antennae nigrae basi testaceae. Caput nigrum parvum elongatum, ore attenuato. Oculi atri oblongi, capitis longitudinem aequantes, septo medio, seu fascia inter oculos argentea. Thorax nunc magis, nunc minus cinereo-flavescens, quasi testaceus, immaculatus. Halteres albidi. Abdomen nigro-aeneum subnitidum, apice acuto bifido. Sternum nigrum. Pedes longiusculi flavescentes, subpilosi, tarsis nigro-annulatis. Femora secundi paris crassiora, tibiis apice unispinosis. Alae albae immaculatae.
Lecta saepius in foliis Amaranthi, Asclepiadis Syriacae, aliisq.

* 574. E. Albicornis.

Atra nitida, femoribus ferrugineis, alis nigro-venosis; antennis albis.
Statura, ac magnitudo *E. Maurae*. Antennae longiusculae albae, basi nigrae. Caput thoraxq. nigra nitida. Halteres albi. Reliqua uti in diagnosi.
Lecta in floribus.

* 575. E. Bifasciata.

Atra nitida, femoribus anticis crassioribus pallide-rufis; alis albis late nigro bifasciatis.
An *E. Marginatae Fab.* varietas?

Pedes quatuor antici, in nostro specimine, pallide rufi, posticiq. nigri tarsis rufis. Femora antica crassiora. Alae magnae albae, in medio late, ac irregulariter nigro bifasciatae.
Habitat in floribus.

## CXCI. *BOMBYLIUS.*

*Haustellum* longissimum rectum, setaceum bivalve. *Antennae* subulatae, basi connatae.

* 576. B. Elongatus.

Cinereo-pilosus, rostro longitudine corporis; abdomine oblongo.
Statura parvae *Muscae*, & minor *M. Sonchi*. Corpus nigrum, pilis canis hirtum, at valde minus densis quam in congeneribus. Caput nigrum fronte inter oculos cana. Rostrum nigrum longitudine corporis. Thorax gibbus. Abdomen oblongum. Pedes cinerei. Alae albae immaculatae.
Habitat in pratis silvestribus rarior.

* 577. B. Aeneus.

Nudiusculus niger, thorace abdomineq. aeneo-fuscis, subnitidis.
Dimidio minor *M. Domestica*. Corpus vix tomentosum. Caput, antennae, rostrum nigra. Thorax, ac abdomen aeneo-fusca nitidula. Halteres albi. Pedes nigri. Alae obscurae.
Accedere videtur ad *B. Nudum Villers Ent. t.* 3. 609. 12. at differt capite non barbato, alis fuscescentibus, pedibus nigris.
Habitat cum praecedente non frequens.

# APPENDIX.

1. SCARABAEUS HEMISPHAERICUS.

S. scutellatus, niger, hemisphaericus, thorace mutico, capite tuberculato, elytris laevibus. *Oliv. p. 66. n.* 74. *t.* 2. *f.* 15.

Similis *S. Vernali*, at major, & latior. Totum corpus nigrum. Clypeus rotundatus. Caput tuberculo medio unico. Thorax laevis antice emarginatus, lateribus puncto impresso. Scutellum triangulare. Elytra laevia. An femina *S. Vernalis*?

Habitat in stercore bovino, Pisis non rarus.

2. SCARABAEUS ARENARIUS.

S. scutellatus, muticus, ater, elytris striatis, tibiis piceis. *F. Mant.* 11. 105.

*Oliv. p.* 96. *t.* 24. *f.* 206. *a. b.*

Statura, & magnitudo *S. Porcati*. Totus ater nitidus, tibiis solis piceis. Clypeus apice emarginatus. Elytra profunde striata. Tibiae anticae tridentatae.

Habitat in arenosis.

* 3. SCARABAEUS FLAVIDUS.

S. scutellatus, muticus, subpubescens; capite, thorace, elytrisq. pallide flavis: abdomine nigricante.

Fere duplo minor praecedente. Corpus oblongum. Caput flavescens, muticum, maxillis acutiusculis. Oculi nigri. Thorax rotundatus, inermis, flavescens. Elytra laevia flavescentia. Abdomen nigricans. Pedes flavescentes tibiis anticis 5-dentatis.

Habitat in floribus primo vere.

* 4. DERMESTES BIFASCIATUS.

*Long.* 2. l. *lat.* 1. l. vix.

D. ovatus villosus, capite nigro, elytris subrufis: fasciis duabus undulatis cinereis.

Statura, ac magnitudo *D. Pellio*. Caput nigrum. Antennae basi rufae, apice nigrae, capite vix longiores. Thorax fusco niger, villosus praesertim basi, ac lateribus. Elytra latitudine thoracis, subrufa, laevia, fasciis duabus undulatis pallide villosis, multo latioribus quam in *D. Undato*; punctoq. baseos ad suturam, alteroq. apicis utrinq. concoloribus. Subtus fusco niger. Videtur diversus a *D. Trifasciato* magnitudine, antennis, aliisq. notis.

Lecti duo in plantis m. Aug.

* 5. DERMESTES? DENTICULATUS.

D. testaceo-fuscus, pubescens; thorace plano obscuriori denticulato.

Statura depressa, & color uti in *Cuc. Flavipede*, quo duplo minor. Caput exsertum, fuscum, denticulo pone oculos vix apparente. Antennae longitudine thoracis, articulis ultimis tribus majoribus. Thorax obovatus, planus, lineolis tribus prominulis, margineq. laterali sexdenticulato. Elytra vix thorace latiora, & duplo longiora, pubescentia, punctulata, striis in singulo tribus, aut quatuor laeviter elevatis; subtus omnia, ut supra testaceo-fusca. *D. Unidentato* proximus.

Lecti duo cursitantes in cistulis Insectorum d. 23. Aug., & mox etiam alibi.

* 6. DERMESTES SULCATUS.

*Long.* $\frac{2}{3}$ l. *lat.* $\frac{1}{3}$ l.

D. niger, thorace elytrisq. marginatis: elytris profunde striatis, punctatisq.

Magnitudo dupla *Pediculi*. Corpus ovatum. Caput nigrum, subrotundum, depressum, punctulatum. Antennae ferrugineae clava perfoliata. Thorax niger fere latitudine capitis, subquadratus, lateribus, posticeq. depressus, marginatus, punctulatus, fere scaber. Elytra nigra, thorace duplo latiora, integra, profunde striata, punctata, ac manifeste marginata. Pedes subferruginei. Proximus *Sph. Atomario*, at

elytris marginatis plane distinctus.
Habitat in plantis.

### * 7. BYRRHUS CRENULATUS.

*Long.* 1. *l. vix.*

B. niger, elytris excavato-punctatis, apice acutiusculis.
Statura, ac facies *B. Dorsalis*, at quadruplo minor. Totus obscure niger. Elytra punctis majusculis longitudinaliter excavata, apice acutiuscula.
Lectus in silvis sub arborum cortice d. 6. Decemb.

### * 8. BYRRHUS SPINOSUS.

B. ater, capite, thorace, elytrisq. setulis albis brevibus raris aspersis.
Magnitudo seminis Milii. Corpus obovatum, globosum, uti in *B. Pilula*, totum atrum subnitidum, ac superius setis brevibus, canis, raris, armato oculo tantum conspicuis, undiq. hirtum. Elytra vix striata.
Habitat in floribus, & quisquiliis, m. Maj. rarus.

### 9. PTINUS IMPERIALIS.

P. fuscus, thorace subcarinato, coleoptris macula alba Aquilam expansam referente. *F. Sp.* 73. 5. *Linn. Syst. Nat.* 565. 4.
*Petagna Ins. Cal.* 6. *t.* 1. *f.* 27.
*Panzer Fn. Germ. Heft.* v. *n.* 7.
Statura *P. Germani*, at duplo fere major, & omnium nostratium maximus. Antennae corpori subaequales, cinereae. Frons cinereo-maculata. Thorax gibbus, postice subcarinatus, villosus, fuscus, lateribus cinereis. Scutellum cinereum. Elytra thorace duplo latiora, villosa, testacea fuscoq. varia, lineolis obliquis ad suturam in angulum convergentibus, fascia superius bilaciniata, postico margine, apiceq. late cinereis.
Lectus in Rubi floribus m. Jun.

### * 10. BRUCHUS GALEGAE.

B. niger, corpore cinereo pubescente immaculato, elytris substriatis: antennis, pedibusq. testaceis.

Parvus, corpore nigro, pube cinerea undiq. obtecto. Antennae, ac pedes omnes toti testacei. Elytra substriata. Femora mutica, posticaq. interdum basi nigra.

Habitat in floribus Galegae officin. frequens, copiosus.

### 11. ELOPHORUS MINUTUS.

E. fuscus, thorace rugoso aeneo, elytris pallidis. *F. Sp.* 77. 3.

Simillimus *E. Aquatico*, at magnitudo vix dupla *Pediculi*. Pedes subferruginei. Dantur nonnulli rariores corporis habitu longiusculo: an *E. Elongatus. D. Schallers*?

Habitat in plantis aquaticis frequens.

### * 12. SPHAERIDIUM ASSIMILE.

S. atrum immaculatum, thorace elytrisq. laevissimis, nitidis: antennis longiusculis, porrectis, pilosis.

An *Tetratoma Atra D. Herbst*?

Statura, ac magnitudine vix superat *S. Haemorrhoidale*, adeoq. assimile *S. Immaculato Fn. Etr.* 1. 48. 118., ut nisi sedulo armatis oculis examinetur, pro illo indubie assumatur; differt enim ab eo tantum magnitudine duplo minori, antennis pedibusq. paullulum diversimode conformatis, thorace elytrisq. etiam laevioribus, scilicet non tenuissime uti in eo punctulatis. Corpus ovatum convexum, fere hemisphaericum, totum atrum nitidum, thorace elytrisq. laevissimis, vix marginatis. Antennae ad lentem subpilosae, thoracis longitudine, ante oculos positae, porrectae, longiores, clava tribus articulis composita, ultimo elongato. Palpi filiformes? Pedes omnes tarsis tribus, ultimo ungulato, paullo breviores quam in *Sphaeridiis*. Thorax latitudine elytrorum. Alae albae.

Habitat in plantis.

### 13. SPHAERIDIUM BIPUSTULATUM.

S. atrum nitidum, elytris macula apicis rubra, pedibus piceis. *F. Sp.* 78. 2.

Nimis *S. Scarabaeoidi* affine, mihiq. mera varietas. Maculae apicis saepius albidae.
Habitat in stercore frequens.

* 14. SPHAERIDIUM PELLUCIDUM.

*Long.* 1. *l. lat.* $\frac{2}{3}$ *l. vix.*

S. atrum nitens, elytris flavis pellucidis: antennis, pedibusq. rufis.

*Dermestes* elytris corneis pellucidis, thorace obscuriore. *Geoff. Ins.* 1. 108. 22. *le Dermeste à etuis trasparens*; qui variare videtur elytris nunc magis, nunc minus obscuris. Synonymia tamen *D. Fenestralis Scopolii*, & *Schrankii* huic minime competit, caput enim in nostro laevissimum, nigrum, occipite destituto corniculis duobus a *Scopolio* observatis. *Schrankium conf.*

Statura, ac magnitudo *Sph. Melanocephali*. Antennae rufae clava perfoliata. Caput thoraxq. laevissima, nigra, nitida. Elytra flava fere pellucida, macula baseos communi triangulari, margineq. nigris. Pectus, & abdomen obscura. Pedes rufi. Differt a *S. Melanocephalo F.* antennis, pedibusq. rufis. Macula baseos, in nostris, non semper praesens.
Habitat in plantis.

* 15. SPHAERIDIUM TESTUDINEUM.

S. ferrugineum glabrum nitidum, thorace laevi submarginato nigricante: elytris corneis, punctato-striatis.

Statura *S. Ferruginei*, at paullo minus. Caput nigricans ore paullulum acuminato, rufo. Oculi nigri. Antennae perfoliatae, basi rufae, clava ex articulis quatuor majoribus composita, fuscis, subrotundis, compressis. Thorax nigricans, glaber laevissimus nitidus, submarginatus. Elytra ferruginea, glabra laevia nitida submarginata, ac punctato-striata. Tibiae spinosae. Alae albae. Differt a praecedente magnitudine paullo majore, statura diversa, clava antennarum non tribus, sed quatuor articulis majoribus composita, thorace, ac elytris submarginatis, hisce punctato-striatis. A *S. Fer-*

*rugineo* vero diversum magnitudine paullo minori, elytris corneis fere pellucidis glabris nitidis, & diversimode punctato-striatis. Colore interdum paullulum variat.

Habitat in floribus, rarum.

* 16. SPHAERIDIUM PILOSUM.

S. luteo-fuscum elytris pilosis punctato-striatis.

Magnitudo, statura, & color fere *S. Lutei*, cui valde affine. Differt tantum colore paullo obscuriori, thorace minus lato, minus convexo, magisq. marginato; elytris non pubescentibus, sed pilosis, ac manifeste punctato-striatis; abdomine, ac alis subnigris.

Habitat in plantis, m. April.

17. SCAPHIDIUM IMMACULATUM.

*Long.* 2. $\frac{1}{3}$ *l. lat.* 1. $\frac{1}{2}$ *l.*

S. nigrum, nitidum immaculatum, elytris obtusis striato-punctatis. *Oliv. Ent.* 20. 3. *t.* 1. *f.* 3. *a. b.*

Magnitudo, & statura *Sc. Quadrimaculati*. Corpus totum nigrum nitidum immaculatum. Elytra obtusa, abdomine paullo breviora, stria suturali, punctisq. impressis striatis. Abdomen acutum. Tibiae posticae arcuatae.

Habitat sub arborum cortice frequens.

18. IPS RUFICORNIS.

I. nigra, antennis, pedibus, basiq. elytrorum ferrugineis: thorace striato. *Oliv. Ent.* 18. *t.* 3. *f.* 18. *a. b.*

Magnitudo, ac statura *I. Elongatae*. Antennae ferrugineae. Corpus nigrum. Thorax quadristriatus. Elytra fusco-ferruginea, apice nigra. Pedes ferruginei.

Habitat in ligno putrido.

19. OPATRUM GIBBUM.

O. nigrum, elytris lineis elevatis plurimis obsoletis. *F. Sp.* 90. 3.

*H. Cornuta D. Thunb. Act. Soc. Ups.*

Magnitudo *O. Sabulosi*, at magis oblongum, & postice magis gibbum. Elytra obsoleta lineis elevatis striata. F. Thorax late marginatus margine parum serrulato, angulis anticis exsertis, posticisq. denticulo acuto.

Lectum in locis arenosis.

### 20. NITIDULA MARGINATA.

N. ovata, elytris sulcatis: margine punctisq. disci punctatis. *F. Mant.* 51. 4.

*Oliv. Ent.* 13. *t.* 2. *f.* 15. *a. b.*

Statura *N. Bipustulatae*. Corpus subtus piceum. Thorax niger margine late ferrugineo, Elytra marginata nigra margine, punctisq. aliquot disci ferrugineis. *F.* Caput auriculatum. *Oliv.* scilicet basis antennarum mobilis, demissis tantum antennis conspicua.

Habitat in plantis, & sub arborum cortice.

### 21. NITIDULA LITURA.

N. testacea, elytris litura arcuata nigra. *F. Mant.* 52. 15.

Vix major *N. Aestiva*. Caput, & thorax rufo-testacea immaculata nitida. Antennae rufae longitudine thoracis. Elytra armato oculo pubescentia, laevia, nitida, testacea, litura inaequali arcuata nigra. Abdomen nigrum. Pedes testacei.

Lecta in plantis liliaceis, m. Maj.

### * 22. COCCINELLA ELATERII.

C. rufa, pubescens, elytris maculis baseos quatuor distinctis, in medio decem connexis grandiusculis nigris.

Statura *C. 7-punctatae*, qua paullo major, hinc maxima nostratium. Caput rufum, oculis nigris. Thorax rufus, convexus submarginatus. Scutellum minutum, rufum. Elytra rufa, maculis baseos in singulo duabus, distinctis, grandiusculis, nigris; in medio quinque duplici ordine longitudinali connexis, magnis, posticeq. coeuntibus: scilicet tribus ad marginem exteriorem invicem intrusis, binisq. ad suturam connexis, nigris. Alae albae. Abdomen in medio nigrum. Pedes rufi.

Habitat in Elaterio Momordica Provinciae maritimae Senensis.

* 23. COCCINELLA 18-NOTATA.

C. aptera, suborbiculata, rufa, elytris punctis octodecim nigris.

Magnitudo *C. Bipustulatae*. Caput rufum, oculis nigris. Thorax rufus, convexus, submarginatus. Scutellum minutum, rufum. Elytra thorace dimidio latiora, latitudine parum longiora, valde convexa rufa, punctis utrinq. novem 1. 4. 3. 1. minutis, nigris. Alae nullae. Pectus, abdomen, & pedes rufa. *Obs*. Oculo acute armato supra pubescens.

Habitat in plantis, rara.

* 24. COCCINELLA IMMACULATA.

C. aptera, suborbiculata, coleoptris flavo-rubris, immarginatis, puncto nullo: corpore concolori.

Statura, ac magnitudo fere praecedentis. Abdomine, pedibusq. concoloribus manifeste differt a *C. Impunctata Linnaei*, aliaq. paullo majori alata, quae *C. 4-pustulatae* staturam habet, & gaudet elytris magis rubris, marginatis, non adhuc satis bene distincta.

Raro lecta.

25. COCCINELLA QUADRIMACULATA.

C. subvillosa, nigra, punctis quatuor luteo-rubris. *Geoff. Ins.* 1. 332. 22. *La Cocc. velue à points*.
*Ent. Par.* 1. 149. 22. *C. Villosa*.
*Fn. Etr.* 1. 71. 179. *Confer.*

Minime varietas *C. Minutissimae* uti dubitat *D. Geoffroy*, potius *C. Bisbipustulata F.* Frons modo luteo-rubra, modo non.

Habitat in Umbellatis non frequens.

26. COCCINELLA FRONTALIS?

C. coleoptris nigris, punctis duobus rubris; fronte, pedibusq. anticis rubris. *F. Mant.* 1. 60. 86?

Variat punctis elytrorum quatuor. F. Haec nostra numquam: videtur igitur nova species, cui *C. Bimaculatae* nomen an magis proprium?

Specimina quae sane habeo plurima, eodemq. tempore, ac loco lecta in Lauri Cerasi foliis, aliisq. plantis, differunt a praecedente elytris antice tantum bimaculatis, fronte thoraceq. fere semper nigris. Femora etiam omnia nigra; tibiae anticae fere semper rufae, interdum tamen etiam mediae, ac posticae. Tarsi rufi. Ne credam praecedentis vatietatem, obstare etiam videntur punctorum color in hac magis ruber, habitationis diversitas, copula observata similis cum simili, aliaq. Corpus in hac etiam subvillosum.
Habitat in plantis variis, & Jul. & Aug. mens. frequens copiosa in Lauro Ceraso.

27. COCCINELLA MINUTISSIMA.

C. subvillosa nigra, fasciis duabus transversis rubris. *Geoff. Ins.* 1. 332. 21. *La Cocc. velue à bandes.*
*Ent. Par.* 1. 149. 21. *Coccinella Fasciata.*
*Villers Ent.* 1. 115. 64. *Cocc. Minutissima.*
Variat admodum magnitudine, forte etiam specie.
Habitat in plantis variis. M. Jun. & Jul. frequens in Quercus ramulis, Lauro Ceraso, Citro medica &c.

28. COCCINELLA MARGINALIS.

C. subvillosa nigra, elytris basi macula magna utrinq. rufa, marginali.
C. subvillosa nigra, coleoptrorum basi fascia transversa rubra, interrupta. *Geoff. Ins.* 1. 333. 23. *C. Interrupta.*
*C. Austriacae. Villers Ent.* 1. 115. 63.
Statura, ac magnitudo plerumq. *C. Minutissimae*, at dantur individua majora. Differt a *Coccinella* sub dubio nomine *Frontalis* exhibita, cum qua frequens cohabitat, elytrorum punctis, quae in hac maculae majores, ad basin positae, triangulares, marginemq. externum occupantes. Etiam in hac specie frons, thorax lateribus, pedesq. interdum colore variant, & in masculo saepe toti rufi.
Habitat in plantis variis, m. Aug. & Septemb. frequens.

### 29. COCCINELLA ANALIS.

C. coleoptris atris, apice rubris immaculatis. *F. Mant.* 60. 81.

Paullo major *C. Minutissima*. Caput rubrum immaculatum. Thorax rufus basi ad scutellum nigra. Elytra pubescentia laevia atra, apice late rufa. Pedes rufi. Abdomen in nostris nigrum, ano rufescente. *Obs*. Insecta quae *Halae saxonum* indigena sunt, saepe etiam nobis communia.

Habitat in plantis rarior.

### * 30. COCCINELLA ARCUATA.

C. nigra, pubescens: elytris strigis duabus arcuatis, albidis.

Insectum minutum elegans, mihiq. memorabile ob vitam sublimi lapsu in eo legendo-periclitatam. Caput albido-nigrum nitidum. Oculi nigri. Thorax albus nitidus, in medio niger, emarginatus. Elytra nigra, pubescentia, strigis duabus caput versus arcuatis albis, armato praesertim oculo manifestis, & in elytrorum medio duplicem semicirculum efformantibus, quorum prior magis in gyrum protractus, posticus latior. Alae albae. Pedes albidi. Corpus hemisphaericum, subglobosum.

β. C. pubescens, elytris corneis fere pellucidis: puncto ad suturam utrinq. nigro.

Statura, ac magnitudo omnino praecedentis, cujus alter sexus, scilicet mas. Caput album. Oculi nigri. Thorax albus, emarginatus. Abdomen basi nigrum, apice rufum. Pedes albi. Puncta suturae interdum striga subcirculari flavescente clauduntur. Elytrorum color testudineus.

Habitat in foliorum Citri Medicae pagina plerumq. inferiore, ibiq. lecta constanter, mens. Sept. & Octob. in plantis parieti innixis, locis dissitis.

### 31. COCCINELLA PYGMAEA.

C. subvillosa, nigra, thorace utrinq. macula rubra. *Geoff. Ins.* 1. 333. 24.

Magnitudo fere *C. Minutissimae*. Pedes rufi.

Habitat in plantis rarior.

### * 32. COCCINELLA? MINIMA.

C. nigra pubescens, antennarum clava, tibiis, tarsisq. rufis.

Magnitudo seminis Milii. Nigra, pubescens, immaculata. Corpus hemisphaericum subglobosum. Thorax emarginatus. Occurrit alia, rarissime lecta in Coryli foliis, quae a praecedente differt tantum magnitudine paullo majori, & capite flavo.

Habitat in Lavaterae arboreae foliis non rara, sed etiam cum congeneribus in Citro medica, aliisq. plantis.

### * 33. COCCINELLA LUTEA.

C. rotunda lutea, elytris basi puncto utrinq. minutissimo nigro.

*An C. Pallida D. Thunb. Diss. Ekeberg.* 1785?

Magnitudo C. 12-*punctatae*. Tota lutea crocei coloris, exceptis oculis, punctoq. minuto in medio baseos singuli elytri, nigris. Alae luteae. Variat elytris immaculatis puncto scutellari minutissimo nigro.

Habitat in Chaenopodio viridi, rara.

### 34. CASSIDA VIBEX.

C. virens, sutura dorsali sanguinea. *F. Sp.* 108. 4. *Linn. Syst. Nat.* 575. 5.

*Schrank. E. I.* 89.

*Villers Ent.* 1. 92. 5.

Variat magnitudine, & apud nos saepe minor mensuris a *Schrankio* datis.

Habitat in Carduis.

### 35. CASSIDA TIGRINA.

C. viridescens, elytris nigro confertissime punctatis, corpore subtus nigro, thorace basi punctis duobus albidis.

C. viridis punctis nigris, corpore subtus nigro, thorace maculis binis albis. *De Geer* 5. 168. 1. *t.* 5. *f.* 15. 16. *La C. Tigrée.*

*C. Affinis Fab.* at, in nostris, thorax punctis duobus albis distinctis.

*Villers Ent.* 1. 92. 7.
*Schaeff. Icon. t.* 27. *f.* 4. *a. b.*

Statura, ac magnitudo *C. Viridis*. Antennae nigrae basi albidae. Elytra punctato-sublineata. Pedes albidi. Alae obscurae ad marginem tenuiorem pallidae. Puncta alba thoracis post mortem obliterantur.

Habitat in Chaenopodio hybrido.

36. CHRYSOMELA HOLSATICA.

C. saltatoria, nigra nitida, elytris apice puncto rubro. *F. Sp.* 136. 112. *Linn. Syst. Nat.* 995. 67. *Fn. Sv.* 544.
*Altica Holsatica Syst. Ent.* 115. 118.
*Villers Ent.* 1. 143. 88.

Magnitudo majoris *Pediculi*. Tota atra nitida. In apice utriusq. elytri punctum rubrum.

Habitat in oleribus.

37. CHRYSOMELA MODEERI.

C. saltatoria, viridi-aenea elytris macula postica pedibusq. anticis flavis. *F. Mant.* 77. 134.

*C. Modeeri* saltaroria, aeneo-nitida elytris apice flavis, pedibus anterioribus, tibiisq. posticis luteis. *Linn. Syst. Nat.* 594. 57. *Fn. Sv.* 539.

Corpus *Pulice* minus, aeneum, nitidum. Elytra striata, apice late flava. Antennae basi luteae. *Linn.* Subrotunda, globosa, & apud nos *Pulice* major.

Habitat in plantis non frequens.

* 38. CRYPTOCEPHALUS STRAGULA.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ *l. lat.* 1. $\frac{1}{3}$ *l.*

C. nigro-aeneus, elytris flavis: margine, fasciaq. late nigra dorsali ad suturam communi.

*C. Quadro*, & *C. Marginato Fn. Etruscae* proximus, at major, & distinctus fascia, seu macula late nigra dorsali elytrorum communi, ad apicem fere producta; elytris irregulariter punctulatis; tibiis anticis testaceis. Antennae longae ni-

grae quatuor primis articulis rufis. Thorax laevissimus, ater nitidus. *In C. Marginato Fn. Etr.* ( scilicet femina *C. Flavilabris. F.* ) elytra striato-punctata.

Habitat Florentiae rarus.

### * 39. CRYPTOCEPHALUS BLOCKII.

*Long. 2. l. vix lat. 1. l.*

C. niger, antennis longis, thorace rufescente, elytris luteis, punctis duobus nigris.

Insectum rarissimum quod *D. lib. Bar. de Block Dresdensis* nomini mihi caro consecratum volo.

Statura, ac magnitudo *C. Laeti F.* at magis etiam affinis *C. Thoracepunctato* ipsius *D. de Block*, a quo tantum differt thorace immaculato. Antennae nigrae filiformes longitudine corporis. Caput nigrum. Thorax saturate luteus, quasi rufescens immaculatus. Scutellum nigrum. Elytra laeviter punctato-striata, glabra, lutea: in singulo punctum nigrum baseos ad marginem exteriorem, alterumq. simile fere in medio elytrorum positum. Subtus totus niger subpubescens.

Lectus ruri.

### 40. CRYPTOCEPHALUS VITTATUS.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ *l. lat.* $\frac{3}{4}$ *l. vix.*

C. niger, elytris margine, striaq. abbreviata flava: *F. Sp.* 144. 36.

*Cryptocephalus* elytro singulo duplici linea longitudinali flava. *Geoff. Ins.* 1. 233. 4. descr. optima.

*Chrysomela Vittata. Vill. Ent.* 1. 157. 146.

Thorax antice, ac lateraliter flavo marginatus. Elytrorum margo exterior flavus, & in medio suturam versus singulo elytro stria abbreviata, cuspidata, flava. Pedes flavi. Antennae basi flavae, apice nigrae.

Figura *Schaefferi Ic. t.* 260. *f.* 3. a D. *de Villers* citata, aut falsa, aut male picta.

Habitat in graminosis silvaticis, m. Jun., & Jul. saepiusq. lectus in Hieracio.

* 41. LAGRIA LINEARIS.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ *l.* *lat.* $\frac{1}{3}$ *l.* *vix.*

L. fusco-viridis, thorace elytrisq. subpunctatis: corpore lineari.

Corpus longiusculum, lineare, dimidio minus quam in *L. Nigra*, & angustum ratione longitudinis.

Habitat in plantis rara.

42. CURCULIO ANGUINUS?

C. longirostris, cylindricus, canus, fusco-lineatus. *Linn. Ed. Gmelin* 4. 1751. 35.
*Villers Ent.* 1. 183. 30.

Corpus tota structura *C. Paraplectici* fuscum, subtus canum, nigro-punctatum. Rostrum magis arcuatum. Thorax lineis quatuor exalbidis. Elytra lineis quinque canescentibus parallelis, exteriore latiore, longitudinaliter punctata duplici serie punctis excavatis, vix conspicuis. Apices elytrorum mucronati, nec dehiscentes. Pedes cani mutici nigro-punctati. Antennae clavatae acutiusculae.

Lectus in Artemisia campestre, m. Jul.

43. CURCULIO JACEAE.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$, 4. *l.* *lat.* 1. $\frac{1}{3}$, 2. *l.*

C. longirostris, niger cinereo irroratus, elytris puncto baseos distincto. *F. Sp.* 164. 15?

*Geoff. Ins.* 1. 281. 8. *le Charanson tachetè de tete de Chardon.*

Junior super atomis plurimis villoso-cinereis aspersus; aetate glaber, & niger evadit.

Habitat in Carduis, Cirsio, Centaurea, frequens.

44. CURCULIO GUTTULA.

C. longirostris, femoribus dentatis, thorace tuberculato niger, elytris striatis puncto postico albo. *F. Mant.* 107. 124.

Magnitudo, ac statura fere *C. Pseudacori*. Rostrum porrectum incurvum nigrum. Thorax fusco-niger inaequalis,

antice utrinq. emarginatus, acute angulatus, tuberculosus, linea dorsali impressa. Margo anticus parum elevatus. Elytra fusco-nigra puncto apicis albo. Corpus subtus cinereum.

Raro lectus in silvestribus.

* 45. CURCULIO GLIS.

C. brevirostris, griseo-murinus, antennis fractis, elytris leniter punctato-striatis.

*An C. Palliatus. F. Mant.* 113. 178. qui mihi ignotus?

Magnitudo, ac statura omnino *C. Viridis*. Color totius corporis uti in dorso *C. Viridis*, at minus nitens, magisq. ad griseo-murinum vergens. Antennae fractae, nigro-cinereae, articulo primo magis quam in antennis *C. Viridis* elongato, & elytrorum apex minus acutus. Reliqua omnia similia. Elytra punctato-striata. Femora inermia. Alatus.

Habitat in locis paludosis.

* 46. CURCULIO BARBATUS.

*Long.* 8. *l. lat.* 3. $\frac{1}{4}$ *l.*

C. brevirostris, niger, elytris lineis rugoso-elevatis, antennis brevibus fractis: rostro bisulcato, apiceq. inferius barbato.

Statura *C. Morionis*, & *C. Tenebriodis D. Pallas*, at paullo minor. Corpus totum fusco-nigrum, subnitidum. Antennae fractae, rostro paullo longiores. Rostrum crassum bisulcatum, lateribus, apiceq. inferius pilis brevibus rufis barbatum. Oculi subimmersi. Thorax convexus subrotundus, punctulatus, subcarinatus. Elytra rugosa punctulata, lineis 5, aut 6. rugoso-elevatis, unde quasi porcata, admodum convexa, connata. Femora omnia clavata.

Lectus Florentiae.

47. CURCULIO TAMARISCI.

C. brevirostris, viridi-nitens, elytris viridi nigro aureoq. variis.

C. brevirostris, viridi-nitens, elytris viridi ferrugineo nigro cinereoq. variis. *F. Mant.* 113. 181.

*Fabriciana* descriptio *C. Splendiduli* huic etiam quodammodo competit, at Insecti habitatio huc nostra specimina referenda esse suadet.

Statura, ac magnitudo fere *C. Argentati*. Caput aurato-fuscum, squammulis paucioribus cinerescentibus. Rostrum thorace brevius, supra planiusculum, non valde crassum, apice subtestaceo. Antennae fractae, basi testaceae, ad apicem cinereae. Oculi nigri rotundi prominuli. Thorax vix longitudine angustior, viridis, nitens, squammulis cinereis dorsi rarioribus. Scutellum nullum. Elytra thorace dimidio latiora, & duplo longiora, ovata, convexa, oculoq. acute armato substriata, viridia pallide-luteo nigroq. varia, maculis in singulo praesertim distincta duabus majusculis auratis, nigroq. marginatis; posticis ad suturam communibus. Sternum, abdomen, pedesq. viridia. Tibiae, ademta pube aurata, testaceae. Femora mutica. Alatus. *Obs. C. Tamarisci Villers Ent. t.* 1. 217. 195. *t.* 1. *f.* 25. ab hoc distinctissimus.

Habitat in Tamarisco. *D. Struve* Svecus, Entomologus peritissimus, cum Pisis esset sub Julii finem an. 1794., tres invenit in Tamarice Gallica, mihiq. unum benevole communicavit. Mox vero ineunte Septembri, primis horis matutinis, a me etiam reperti quamplures in nonnullis tantum Tamaricibus paludis rarius inundatae.

## * 48. CURCULIO THAUMATURGUS.

*Long.* 2. *l. lat.* 1. *l.*

C. brevirostris, oblongus fuscus; thorace elytrisq. punctis fasciculato-villosis, flavescentibus.

*C. Antiodontalgicus* brevirostris, oblongus, fuscus, thorace punctato, elytris punctato-striatis, supra maculis villosis aureis undiq. aspersus: subtus luteo villosus. *Gerbi Storia Naturale d' un nuovo Insetto. Firenze* 1794. cum descriptione, fig., & accuratissima historia, qua quidem amplior nulli unquam Insectorum contigit.

Magnitudo *C. Argentati*. Fusco-niger, pilis flavescentibus undiq. aspersus. Rostrum crassum, planum, brevissimum. Antennae vix longitudine thoracis, clava cinerea. Thorax longitudine fere duplo latior. Elytra laeviter punctato-striata, pilis crebrioribus huc illuc accumulatis. Femora mutica. Alatus. Differt a *C. Villoso Geoff.* 52. magnitudine paullo majori, thorace non elongato, elytris fasciculato-villosis.

Hic quemadmodum *Attel. Bacchus*, & *Betuleti* (1) a *D. Gerbi* pro optimo in Odontalgia a carie derivante remedio habetur, ac praedicatur; scilicet confricato dente digitis, quibus non minus quam tredecim, aut quatuordecim larvae contrectatae, & contusae fuerint; sic enim digitus humore, seu sanguine larvae contaminatus, ac veluti imbutus, ἐνέργειαν permanentem in se recipere dicitur, ac idoneus invenitur ad sanandum per menses, & annum. Mihi adhuc experientia non constat (2).

Habitat in floribus Cardui spinosissimi (3), & C. Eriophori spurii. *Linn.* Invenitur larva in receptaculo floris intra gallas lignosas. *Obs*: Cavendum ne confundatur cum aliis quae interdum ibidem cohabitant, nam Cardui fere omnes in receptaculo floris, & medulla caulis domicilium praebent larvis non paucis e genere *Muscarum*, *Curculionum*, atq. *Tenthredinum*.

## 49. RHINOMACER CURCULIOIDES?

*Long. a cap. ad anum* 3. $\frac{1}{2}$ *l. lat.* 1. $\frac{1}{3}$ *l.*

R. villoso-griseus, antennis pedibusq. nigris. *F. Mant.* 123. 1. *Sp.* 199. 1.

---

(1) Confer Dissert. *DD. Comparini, & Carradori* italice script., ac edit. *Florent. an.* 1794.

(2) A *D. Gerbi* in notis alia Insecta antiodontalgica numerantur, scilicet larva *M. Cardui Haemorrhoidalis*, larva *Ichneumonis* in C. Spinosissimo hospitantis, *Curc. Jaceae*, *Carab. Chrysocephalus Fn. Etr.*, & *Carab. Ferrugineus Fabricii*?

(3) Plantam hanc *D. Gerbi* l. c. exhibet tanquam indescriptam, & diversam a *C. Eriophoro spurio Linnaei* cui valde affinis.

Statura *Curculionis*. Palpi quatuor extrorsum crassiores, articulo ultimo oblique truncato, quorum antici longiores. Antennae setaceae rectae, medio rostri insidentes, thoracis longitudine. Thorax dorso planiusculo. *Obs*: magnitudo, in nostris, major, & pedes colore omnino corporis, hoc est albo-cinerescentes.

Habitat Pisis rarus.

### * 50. NOTOXUS RUFICOLLIS.

N. niger, ore, thorace, antennis, pedibusq. rufis.

Duplo minor *N. Trifasciato*, seu *Pediculo* aequalis. Caput inflexum ore rufo, fronte, oculisq. nigris. Antennae rufae longitudine dimidii corporis, articulis novem brevibus subpilosis, ultimo acuminato majore, uti in *N. Monocero*. Palpi quatuor securiformes. Thorax teretiusculus glaber, rufus, latitudine capitis, & fere duplo longior. Elytra glabra nigra, tenuissime punctulata, thorace duplo latiora. Abdomen nigrum. Pedes rufi. Color elytrorum interdum subniger.

Habitat in Citro medica per folia discurrens, m. Jul.

### * 51. STENOCORUS LURIDUS.

*Long.* 8. *l. lat.* 2. $\frac{1}{4}$ *l.*

S. apterus, lividus, antennis subserratis, compressis: elytris mollibus, abbreviatis.

Statura quodammodo *Calopi*, sed facies, praesertim si corpus, ac elytra respiciantur, omnino *Melois*. Apterus, & corpore toto livido, seu sordide flavescente. Caput pone elongatum uti in *Attel. Coryli*, collo angustiori, valde a thorace disiunctum. Antennae mediocres articulis decem subserratis, compressis, ante oculos positae. Palpi quatuor, antici filiformes, longiusculi; postici breves, subclavati. Maxillae exsertae acutae. Oculi non lunati, sed subrotundi, magni, nigri. Thorax rotundatus, elytris antice angustior, semiovalis. Scutellum majusculum subtriangulare. Elytra elevata, flexilia, subrugosa, valde abbrevia-

ta, dehiscentia, apice attenuata. Pedes crassiusculi femoribus, tibiisq. compressis. Numerus tarsorum, ac conformatio uti in *Stenocoris*. Differt a *Calopo Serraticorni* colore lurido, qui in eo griseo-fuscus, palpis anticis filiformibus; antennis ab oculo distantioribus; maxillis magis exsertis; oculis majoribus; capite pone elongato; collo praelongo angustiori; thorace convexo, semiovali; elytris mollibus abbreviatis, abdomine obeso; pedibus non teretibus neq. exilibus, sed crassiusculis, femoribus tibiisq. compressis; tarsisq. in pedibus omnibus quatuor. *Obs*: In *Calopo Serraticorni* tarsi pedum anticorum quinque. Conf. etiam *fig. D. Panzeri Fn. Germ.* 1. *Heft. n.* 15. *f.* 15. quæ satis exacta, colorem si exceperis nimis rufescentem.

Insectum idem quod forma antennarum, aliisq. notis deceptus, dedi in *Fn. Etrusca* sub falso nomine *Calopi Serraticornis*, a quo, facta tandem utriusq. comparatione, ita distinctum inveni, ut diu dubitaverim an ad novum genus esset referendum. Ac ne iterum in errorem induduceremur, transmissione Insecti, aut figurae accuratissimae, Entomologos peritiores per litteras consulendos esse censui, sed eorum pars, quos inter, dolore commemoro Cl. viros *D. Schwarz*, & *D. Panzer Norimbergenses*, nullam responsionis gratiam fecit, etsi prior hoc singulare Insectum, alter figuram una cum plus quam ducenis ab eo mihi efflagitatis speciebus rarioribus acceperit: altera pars vero novitatem Insecti admirata, incertitudinem, observationibus propriis dubiaq. nostra augere magis quam imminuere visa est.

Habitat Florentiae, & Pisis, in locis silvestribus rarus. Metamorphosin subire videtur non in ligno cavato, ut fere genus omne *Cerambycum Linnaei*, sed in terrae latebris.

52. SAPERDA SCALARIS.

*Long.* 5. *l.* *lat.* 1. $\frac{1}{4}$ *l.*

S. coleoptris linea suturali dentata, punctisq. flavis, antennis mediocribus. *F. Sp.* 231. 2.

*Cerambyx Scalaris* thorace mutico subcylindrico coleopteris linea suturali dentata punctisque flavis, antennis mediocribus. *Linn. Syst. Nat.* 632. 55. *Fn. Sv.* 697.
*Cerambyx flavo-viridis. De Geer Ins.* 5. 77. 14.
*Scop. Ent. Carn.* 175. *Cer. Scalaris.*
*Ann. hist. nat.* 5. 102. 77. *Lept. Scalaris.*
*Schaeff. Icon. t.* 38. *f.* 5.

Variat margine elytri interiore albo. Antennarum articuli, in meis speciminibus, grisei apicibus nigris.

Raro inveni in ligno Pruni Cerasi exsiccato.

### 53. SAPERDA TESTACEA.

S. thorace cylindrico nigra, elytris testaceis. *F. Sp.* 235. 23.

Statura, ac magnitudo fere *S. Cylindricae*. Antennae longitudine corporis nigrae. Corpus totum nigrum, elytris solis testaceis.

Lecta m. Maj. in pratis.

### 54. CALLIDIUM PRAEUSTUM.

C. thorace subtuberculato testaceum, elytris apice violaceis. *F. Sp. App.* 500. 17-18. *Mant.* 153. 27.

Differt a *C. Testaceo* elytris tantum a medio ad apicem violaceis, quasi praeustis. Antennae corpori, in masculo, subaequales. Femora omnia clavata. Variat magnitudine.

Habitat in plantis frequens.

### * 55. CALLIDIUM LIVIDUM.

C. thorace subtuberculato nudo, elytris obscure-testaceis, ore, thorace, pedibusq. flavo-lividis, antennis fuscis pilosis, longitudine corporis.

Magnitudo fere duplo minor quam in praecedente, & a *C. Lurido* distinctissimum. Variat elytris nigricantibus.

Habitat ruri frequens, & in muris hortorum.

## 56. Leptura Tomentosa.

*Long.* 5. *l. lat.* 2. *l.* & *ultra.*

L. nigra, elytris flavo-testaceis, apice nigris, pedibus posticis corpore brevioribus. *De Geer* 5. 136. 13.
*Stenocorus* niger elytris luteis apice nigris. *Geoff. Ins.* 1. 227. 8. *le Stencore noir à etuìs jaunes.*
*L. Melanura Scop. Ent. Carn.* 149?
Affinis *L. Melanurae*. Elytra apice nigra truncata. Pedes postici corpore breviores. Subtus, quadam incidentia lucis, holosericeo-nitens.
Habitat in rubo.

## * 57. Necydalis? Ceramboides.

*Long.* 3. *l. lat.* $\frac{1}{2}$ *l.*

N. fusco-aenea hispidula: thorace tereti, antice angustato.
Paullo major *N. Viridissima*. Corpus totum fusco-aeneum, irregulariter punctulatum, pilis rariusculis albidis aspersum. Antennae filiformes, mediocres, in oculis positae, subrufae articulis nigris. Thorax haud tuberculosus, teres convexus, magis elongatus, magisq. antice angustatus, quo paullulum recedit ab aliis, unde generis incertitudo. Elytra minus attenuata, integra, lineola media prominula. Femora omnia aequalia, simplicia, mutica, ad basin rufescentia. Alae fuscae.
Lecta in silvis ineunte Majo.

## * 58. Elater Flexuosus.

E. niger fasciis duabus undatis albis. *Oliv. Ent.* 31. 77. *t.* 8. *f.* 84. *a. b.*
*E. Pulchello* paullo minor. Caput thoraxque nigra. Elytra brevia fasciis duabus undatis pallidis, prima ante, secunda pone medium. Corpus subtus nigricans pedibus pallidioribus.
Habitat Pisis sub arborum cortice, & foliis disiectis.

### 59. ELATER BUPRESTOIDES.

*Long.* 4. $\frac{1}{6}$ *l.* *lat.* 1. $\frac{1}{4}$ *l.*

E. cylindricus, niger immaculatus, capite retracto. *F. Mant.* 175. 55.

*E. Buprestoides Linn. Syst. Nat.* 656. 36. *Fn. Sv.* 746.

Antennae, in meo specimine forte femina, non pectinatae; sed serratae, paullo thorace longiores. Color totius corporis ad castaneum vergens. Caput majusculum in thoracem retractum. Thorax gibbus. Elytra tenuissime striata. Pedes breves.

Lectus in Agro Liburnensi.

### 60. ELATER DERMESTOIDES.

E. subvillosus cinereus, elytris striatis, capite retracto. *F. Mant.* 175. 56.

*E. Dermestoides. Linn. Syst. Nat.* 656. 37.

*Elater* fuscus antennis serrato-clavatis. *Geoff. Ins.* 1. 137. 16.

Magnitudo saepe *Pediculi*, at dantur duplo majores. Corpus totum castanei coloris pube cinerescente obtectum. Antennae serrato-clavatae articulis ultimis tribus majoribus. Elytra, ademta praesertim pube, leniter striata. Etsi antennarum forma recedat ab aliis *Elateribus*, genus tamen haud dubium.

Habitat in silvis. Reperi plerumq. sub arborum cortice.

### 61. BUPRESTIS LURIDA.

B. elytris bidentatis obscura, ano tridentato. *F. Sp.* 274. 8.

B. elytris bidentatis, corpore obscuro, ano tridentato. *Oliv. Ent.* 32. 21. *t.* 8. *f.* 83.

Nostra specimina omnino conveniunt cum descriptione *Fabricii*, ac *Encyclop. Meth. Paris. n.* 23.

Habitat in silvis non rara.

### * 62. BUPRESTIS FABRICII.

B. elytris serratis integris fusco-aenea, thorace elytrisq. subrugosis punctatis, fronte impressa sulcata; scutello nullo, aut vix apparente.

Maxima nostratium, & *B. Mariana* oblongior. Color totius corporis obscure purpurascenti-aeneus. Antennae nigrae. Caput in thoracem magis retractum, fronte late excavata, sulco medio impresso. Oculi fusco-nigri. Thorax subcanaliculatus, undiq. punctulatus punctis minutissimis confluentibus. Scutellum fere nullum, puncto vix apparente excavato. Elytra laeviter rugosa, ad apicem serrulata, integra. Abdomen sub elytris obscure inauratum. Alae fuscae. Proxima *B. Marianae*, at distincta magnitudine, statura, colore: caput angustius, fronte diversimode impressa; oculi magis approximati obscuriores; thorax, ac elytra laeviora, neq. excavata rugis longitudinalibus, latis, cavitatesq. efformantibus.

In honorem summi Entomologiae instauratoris *Fabricii*.

Habitat in silvis Pisanis, rara.

* 63. BUPRESTIS PISANA.

B. elytris subbidentatis, corpore supra aureo-viridi, subtus aeneo-nitido pubescente.

Magnitudo *B. Rusticae*. Caput aeneo-viride, punctulatum, subpubescens. Oculi fusci. Antennae aureo-virides, capite duplo longiores. Thorax aureo-viridis, rotundatus, vix marginatus, punctulatus. Scutellum puncto elevato lucido prominet. Elytra aureo-viridia, punctulata, serrulata, apicibus subtruncatis, subbidentatis. Subtus tota aeneo-nitida, cinereo-pubescens. Species omnino diversa a *B. Aenea F.*

Habitat in silvis Pisanis, frequensq. exclusa mihi domi est e lignis combustioni asservatis.

* 64. BUPRESTIS 10-MACULATA.

B. elytris tridentatis viridibus: singulis, maculis quatuor subrotundis, thoraceq. duabus impressis, cyaneis.

Statura *B. Rutilantis* cui affinis, at minor, & distincta thorace postice maculis duabus impressis cyaneis, elytris totis viridibus, maculis in singulo quatuor cyaneis, subrotundis, & in crucem digestis.

Lecta in Cardui foliis.

### * 65. CARABUS MEGACEPHALUS.

*Long.* 6. 7. *l. lat.* 2. *l.*

C. niger nitidus, thorace subquadrato, postice angustiori, ab elytris parum disiuncto: capite magno, fronte rotundata, laevi.

Magnitudo fere *C. Tenebrioidis*, eodemq. modo convexus, at statura diversa. Caput magnum nigrum, parum in thoracem retractum, sub fronte utrinq. impressum, *nucha* convexa laevissima. Oculi nigri. Palpi, antennaeq. subrufae. Maxillae validae. Thorax niger, haud capite latior, subquadratus, laevis, lineola longitudinali absq. punctis ordinariis, antice emarginatus, posticeq. angustatus. Elytra latitudine thoracis, ab eoq. parum disiuncta, nigra, laevia, convexa, striata, punctis discoidalibus nullis, capite thoraceq. paullo longiora. Sternum nigrum, porrectum, tuberculosum. Abdomen nigrum. Pedes nigri. Alae albae. Differt a *C. Tenebrioide*, capite multo majore, thorace postice angustato, & ab elytris disiuncto. A *C. Interrupto Fab.* vero distinctissimus magnitudine dupla; fronte magis convexa rotunda laevi; thorace minus ab elytris remoto, neq. postice rotundato, scilicet non lunato, neq. ita brevi respectu latitudinis; sterno tuberculoso, aliisq. *Obs*: In *C. Interrupto F.* frons, thorax, ac elytra punctulata, punctis etiam majoribus supra strias sparsis longitudinalibus excavatis. Hujus descriptionem videre est in *Sc. Clypeato D. d' Antic. conf. Fn. Etr. t.* 1. *p.* 228. *n.* 570. qui sane est verus *Car. Interruptus Fabricii*.

Habitat in terra, & sub arborum cortice in silvis frequens.

### 66. CARABUS SUBGLOBOSUS.

*Long.* 1. $\frac{1}{4}$ *l. lat.* $\frac{1}{3}$ *l.*

C. niger, thorace obscure subaeneo subgloboso, postice angustato, elytris punctato–striatis, maculis quatuor pallidis discoidalibus. *D. de Paykull Mon. Car. n.* 54.

*Cicindela Quadrimaculata Fn. Sv.* 151.

Magnitudo *C. Meridiani*. Caput nigrum *nucha* obscure subaenea. Oculi prominuli. Antennae saepius basi ferrugineae. Thorax supra obscure subaeneus, globosus, vix marginatus, glaberrimus, postice angustatus, lineola nulla longitudinali. Elytra thorace latiora, nigra nitida, subtilissime punctato-striata; maculis utrinq. duabus discoidalibus minoribus orbiculatis, altera baseos, altera apicis. Tibiae pallidae. Femora nigra. *M. C.*

Habitat in putridis minus frequens.

### 67. PIMELIA GLABRA.

P. atra, thorace rotundato, elytris glaberrimis *F. Sp.* 319. 23.

*Tenebrio laevis* apterus nitens, thorace suborbiculato marginato, elytris laevibus, marginatis. *Forsk. Descr. Animal.* 78. 7.

Duplo minor *P. Carinata*. Tota atra nitida. Thorax orbiculatus, latitudine brevior, laevis, marginatus. Elytra connata, obtusa, glaberrima, laevia, marginata.

Habitat Pisis, rarior.

### * 68. MORDELLA FASCIOLATA.

M. nigra caudata, thorace elytrisq. maculis aureo-villosis.

Valde affinis *M. Fasciatae*, cujus forte varietas. Facies, statura, color idem. Differt tamen ab ea magnitudine minori, elytris aureo nitidiori villo aliter pictis, antennisq. totis nigris, quae in *M. Fasciata*, ad basin rufae. In reliquis omnibus vix, ac ne vix quidem diversa.

Habitat in plantis rarior.

### * 69. MORDELLA BIGUTTATA.

M. nigra, elytris basi flavo maculatis.

Statura, ac magnitudo *M. Flavae*. Antennae nigrae, basi flavae, longiusculae. Tibiae tarsiq. flavi. Elytra basi macula flava suturam non attingente. Reliqua nigra.

Descriptio *M. Dimidiatae* cum hac omnino non convenit. Occurrit alia etiam habitu, ac magnitudine similis, tota nigra thorace, & pedibus flavorufis, forte varietas *M. Tho-*

*racicae*, at caput constanter in meis speciminibus, atrum. Habitat in floribus frequens.

70. STAPHYLINUS PORCATUS.

S. niger thorace abdomineq. porcato, elytris quadrisulcatis, pedibus piceis. *Paykull Mon. Staph. n.* 50.

Facies quodammodo *Silphae*; magnitudo majoris *Pediculi*. Corpus ovato-oblongum, depressum apice attenuato. Sternum fossula profunde excavatum. Tibiae anticae pallidae. Reliqua uti in descriptione *Mon. Staph. l. c.*

Lectus pluries in Tritici aristis, & in Rubi foliis, at acquisitio difficilis ob immobilitatem, & colorem quo frustula, & quisquilia mentitur.

71. LOCUSTA THYMIFOLIA.

*Long.* 12., 13. *l.*

L. thorace tetragono laevi, elytris sublinearibus, fusco punctatis, ala brevioribus. *Petagna Instit. Entom.* 1. 313. 1. *t.* 10. *f.* 18.

An haec nostra sit vera *L. Thymifolia Fab. Syst. Ent.* 283. 5. non certus; convenit tamen cum descriptione, & figura a *Cl. Petagna l. c.* exhibitis.

Habitat apud nos non frequens.

* 72. GRYLLUS GIORNAE.

*Masc. long.* 6. *l. lat.* 1. *l. Fem. long.* 8. *l. lat.* 2. *l.*

G. apterus, griseo-fuscus, femoribus posticis intus nigro bifasciatis, abdominis basi (in mare) linea alba obliqua laterali.

Facies larvae, seu potius pupae, at perfectum animal. Femina fere magnitudine *G. Rufi*; mas duplo minor. Color totius corporis, in femina griseo-fuscus, in masculo obscurior, interdum fere niger. Caput antice lineis quatuor elevatis. Antennae filiformes, longitudine capitis. Thorax carinatus. Abdomen in femina griseum, atomis nigris inter-

dum asperſum, lateribus obscurioribus: in masculo, fuscum linea basεos alba obliqua laterali ad femorum posticorum juncturam perducta. Elytrorum rudimenta in statu adulto tantum brevissima, concolora. Alae nullae. Femora postica abdomini subaequalia, intus nigro quasi bifasciata, nervisq. nigro-punctatis. Tibiae posticae ad basin macula pallidiori intus notatae.

Quamvis *Gryllus* hic diu mihi notus, semperq. visus apterus, ac saepissime copula junctus cum femina pariter aptera, attamen indescriptus videtur non mihi tantum, sed etiam ill. viro *D. Giorna* Entomologo egregio, cujus nomine insignitus nunc prodit.

Habitat ubiq. in locis apricis, m. Aug. & Septemb.

* 73. SEMBLIS FARINOSA.

S. alba, alis farinosis, deflexo-compressis, posticeq. adscendentibus; collo elongato, oculis nigris.

Longiuscula, & minuta. Facies *Tineae*, at antennae hujus generis, annulatae, filiformes, fere longitudine corporis. Palpi breves, occultati. Oculi nigri. Thorax elongatus. Corpus totum albo farinosum.

Habitat imago frequens sub Viburni Tini foliis, m. Septemb. in locis umbrosis humentibus.

74. HEMEROBIUS STRIATULUS.

H. fuscus, flavo-maculatus, alis fusco-striatis posticis immaculatis. *F. Sp.* 394. 10.

*Villers Ent.* 3. 53. 15.

Habitat in plantis.

75. CYNIPS ADONIDUM.

*Long.* 2. *l.*

C. nigra gibba, oculis laete rubris, abdomine compresso cordato, apice acutissimo, geniculis, tarsisq. albidis.

*C? Adonidum. Fn. Etr.* 2. 79. 854.

Magnitudo, ac statura fere *Cyn. Geoff. Ins.* 2. 298. 5. *t.* 15.

*f.* 1. *c.* Caput totum punctulatum, fere scabrum nigrum, punctoq. majore inter oculos supra antennas excavato, lucido. Antennae breves, fractae, 7-articulatae, nigrae. Thorax niger, gibbus, punctulatus. Abdomen nigrum nitens, ad latera compressum. Femora nigra geniculis, tarsisq. albis. Alae aqueae puncto minutissimo concatenato, & a margine distanti, uti in *Ichn. Muscarum*. Conf. *De Geer t.* 1. *p.* 607. *t.* 32. *f.* 22. Aculeus rufus longitudine abdominis, cujus sub fornice latet, basi inhaerens.

Lecta in plantis Hesperidum, & mox etiam saepius in Quercu, & Lauri cerasi foliis.

### * 76. CYNIPS SCUTELLARIS.

*Long.* 2. *l.*

C. atra nitens, tibiis subferrugineis: scutello punctis tribus excavatis.

Statura, ac magnitudo *C. Quercus folii. Diplolep. Geoff. Ins.* 2. 309. 1. *t.* 15. *f.* 2. cui affinis. Corpus totum nigrum nitidum, tibiis exceptis subferrugineis. Antennae nigrae filiformes 14-articulatae, longitudine abdominis. Scutellum porrectum punctis tribus distinctis impressis. Abdomen globosum, ad latera compressum. Alae aqueae: anticae abdomine sesquilongiores puncto, nervisq. duobus fuscis ante medium cruciformiter anastomosantibus.

Habitat in plantis.

### * 77. CYNIPS RUFICORNIS.

*Long.* 2. *l. vix.*

C. nigra, gibba, abdomine brevi obtruncato nitido, antennis tibiisq. rufis: scutello obtuso, porrecto, tricarinato.

An *Diplolepi Geoff. Ins.* 2. 311. 5. affinis?

Paullo minor praecedente, a qua etiam differt antennis longioribus rufescentibus, basi seu primo articulo nigro, abdomine breviori, anticeq. obtruncato; scutello tricarinato. Occurrunt aliae huic fere similes, abdominis apice minus obtuso, quae forte feminae.

Primum ruri inveni Araneae tela irretitam, mox lecta etiam in Quercu.

### * 78. CYNIPS AFFINIS.

*Long.* 1. $\frac{1}{3}$ *l.*

C. nigro-viridis nitens, alis ad marginem nigro bimaculatis. Antennae fractae, 7-articulatae, nigrae, basi rufae. Caput, thorax, abdomen nigro-viridia. Abdomen cordiforme, ad latera compressum, apice acutum. Tibiae pallidae. Alae albae ad marginem nigro bimaculatae. Diversa a *C. Geoffr. Ins.* 2. 307. 30. (quae primae familiae) antennis septemnodiis, alisq. non tripunctatis, sed tantum bimaculatis.

Lecta in Lauri cerasi foliis.

### 79. CYNIPS PLUMATA.

C. nigra, antennis plumatis; abdomine reverso, petiolo longiori.

Eadem quam dedimus in *Fn. Etr.* 2. 79. 853. sub dubio nomine *Chryseos Plumatae*. Magnitudo *C. Rosae*. Antennae subdentatae articulis septem quadrangulatis, primo articulo, seu basi praelonga, & caput versus deflexa, plumatae tenui villo albo sericeo. Tota nigra exceptis oculis, tibiis, & digitis rufis. Abdomen breve nitens, ad latera compressum figura cordis reversi, fornicati, lunati, basi prona terram respiciente, petiolo longo uti in *E. Appendigastro*, at non dorso thoracis imposito. Alae hyalinae.

Primum lecta in plantis Hesperidum, mox in Quercu.

### * 80. CYNIPS? DUBIA.

*Long.* 2. $\frac{1}{5}$ *l. lat.* $\frac{1}{3}$ *l.*

C. nigra nitens, villosula, abdomine sessili, pedibus ferrugineis, capite in pectus retracto, ore acuminato.

Genus mihi dubium. Facies *Ichneumonis*, aut *Sphaegis*. Antennae moniliformes, 14-articulatae, nigrae. Caput nigrum in pectus retractum, ore acuminato, uti in *Chalc. Hesperi-*

*dum*. Oculi sublimes. Thorax niger nitidus, pilis raris cinereis aspersus. Abdomen obovatum, longitudine thoracis, nigrum nitidum, cinereo-subpilosum. Pedes omnes ferruginei, tenues, subpilosi. Alae albae immaculatae.

Lecta ruri in plantis.

### * 81. ICHNEUMON APPARITORIUS.

I. scutello flavicante, capite, thorace, pectoreq. nigris, abdomine pedibusq. fulvis. *Villers Ent.* 3. 143. 29.

Omnino bicolor. Antennae nigrae albo annulatae. Abdomen, pedes scutellumq. fulva, reliqua nigra. *Vill. l. c.* Statura, ac magnitudo *I. Sarcitorii*. Aculeus niger brevissimus.

Habitat ruri non frequens.

### * 82. ICHNEUMON IRRISORIUS.

*Long.* 4. *l. lat.* $\frac{1}{2}$ *l.*

I. scutello albo, thorace maculato niger, abdominis segmentis margine albis.

Antennae nigrae, fere longitudine corporis. Caput nigrum orbita oculorum alba. Thorax albo variegatus, puncto utrinq. baseos, tribus sub alis, macula scutelli lunata, & pone lineola, dein fascia angulum in medio efficiente, & ad latera extensa, albis. Abdomen nigrum, subsessile, segmentis omnibus albo marginatis. Aculeus niger longitudine abdominis. Pedes ferrugineo-flavi patellis, tarsisq. posticis nigris. Alae hyalinae.

Lectus in silvis.

### * 83. ICHNEUMON FLAGITATOR.

I. niger, thorace ferrugineo, postice bidentato; abdominis apice albo.

Magnitudo *I. Exhortatoris*. Antennae basi, & apice nigrae, albo-fasciatae, longitudine abdominis. Caput nigrum immaculatum. Thorax ferrugineus scutello concolore, postice utrinq. denticulo armatus. Petiolus ferrugineus. Abdomen subfalcatum, nigrum, apice albo. Aculeus niger,

dimidio minor abdomine. Pedes nigri tibiis anticis vix pallidis. Alae hyalinae puncto nigro marginali.
Lectus in plantis.

* 84. ICHNEUMON INVESTIGATOR.

*Long. 6. l. lat. $\frac{1}{2}$ l.*

I. niger, thorace obsolete rufo-maculato, abdomine subfalcato, tenui longo obtuso, tibiis anticis pallide rufis.
Statura fere, ac magnitudo *I. Sagittatoris. Mant.* 1. 122. 268. eiq. affinis. Antennae nigrae, tenues, abdomine breviores. Corpus totum nigrum, thorace excepto maculis quatuor oblongis ferrugineis, anticis vix manifestis, quae in mortuo fere omnino evanescunt. Aculeus minime apparet, at ano subhiante latet. Alae albae, breves, erectae, puncto nigro marginali. Variare videtur thorace immaculato. *Obs*: ne vitio laboret judicium de sexu, examinandi in vita *Ichneumones*, nonnulli enim adeo brevem, & occultatum gerunt aculeum, ut nonnisi molestati exserant conspiciendum.
Habitat in Quercu, aliisq. plantis festinanter ramulos, & folia perscrutans.

* 85. ICHNEUMON SANGUINATOR.

*Long. 4. l. lat. $\frac{2}{3}$ l.*

I. rufus, abdominis apice nigro; ano albo.
Medius. Statura *I. Incubitoris*. Antennae nigrae articulis brevibus, albo-fasciatae, longitudine abdominis. Caput rufum oculis nigris, palpis, lineaq. ante oculos, albis. Thorax rufus scutello concolore. Abdomen petiolatum rufum, apice nigrum, segmentis tribus ultimis albis. Aculeus brevissimus vix exsertus, niger. Pedes rufo fuscoq. varii. Sternum, femorum apophyses, ac femora postica nigra. Alae albae puncto marginali nigro. *I. Exhortatore* paullo major, & ab eo omnino diversus.
Habitat in Quercu.

### 86. ICHNEUMON VIATOR.

*Long.* 5. *l.*

I. niger, femoribus fulvis. *Schrank. E. I.* 715.
*Scopoli Ent. Carn.* 747.
*Geoff. Ins.* 2. 340. 43.
*Villers Ent.* 3. 163. 88.

Antennas in morte spirales gerit *Scop.* Tibiae posticae puncto, seu annulo albo dimidiato notatae.

Habitat in plantis. Inquietus migrans de loco in locum. *Scop.*

### * 87. ICHNEUMON IDOLON.

I. abdomine supra flavo annulis atris, capite, antennarumq. apicibus flavis: alarum margine exteriori luteo.

Statura, & facies *Sir. Pygmaei*, at major, & hujus generis. Antennae nigrae apice tantum flavae. Thorax antice flavus. Tibiae tarsiq. primi, & secundi paris nigra. Alae fuscae costa lutea.

Lectus Florentiae.

### * 88. ICHNEUMON RUBIDUS.

*Long.* 2. $\frac{1}{2}$ *l.*

I. rufo nigroq. varius: alis albis nigro bifasciatis.

Statura, ac magnitudo *I. Mutillarii*. Antennae rufae longitudine dimidii corporis. Caput rufum. Oculi fusci. Thorax rufus, macula scutellari nigra. Petiolus, ac primum abdominis segmentum rufum, reliqua nigra. Aculeus niger abdomine brevior. Pedes rufi. Femora postica nigra. Alae albae, anticae fasciis duabus transversis latis, marginesq. attingentibus nigris, postica duplo majore. Occurrit alius simillimus aculeo destitutus, qui differt tantum antennis longioribus, alisq. praeter fascias puncto magno marginali nigro notatis. An mas?

Habitat in Quercu robore, Corno sanguinea, aliisq.

### * 89. ICHNEUMON AURATUS.

I. viridi–aeneus nitens, abdomine ovato, tibiis flavis; antennis, tarsisq. posticicis nigris.

Fere duplo major *I. Bedeguaris*, & *I. Chrysi Fab.* affinis. Antennae nigrae longitudine thoracis. Caput, thorax, abdomen aureo viridia nitida, immaculata. Abdomen ovatum. Femora nigra. Tibiae flavae. Tarsi postici nigri. Alae aqueae puncto nigro a margine distanti. Differt ab *I. Chrysi* magnitudine minori, colore capitis atq. thoracis, aliisq. notis.

Lectus in Quercu.

### * 90. ICHNEUMON CALCARATUS.

I. aeneo–ignitus nitens; femoribus posticis cyaneis, denticulo armatis.

Magnitudo praecedentis, at statura diversa. Antennae fractae, basi rufae, apice nigrae. Caput aureo–ignitum, punctulatum. Oculi rufi. Thorax aeneo–ignitus, gibbus, valde punctulatus. Abdomen aeneo–ignitum, laevissimum, gibbum, lateribus compressum. Aculeus niger paullo longior abdomine. Pedes primi, & secundi paris rufi femoribus nigris: postici rufi, femorum apophysibus antice aeneo–nitidis, posticeq. cyaneis. Femora postica crassiuscula cyanea, & ad apicem internum denticulo instructa. Alae hyalinae puncto nigro marginali.

Lectus in foliis Coryli Colurnae.

### * 91. ICHNEUMON INFIDUS.

*Long.* 1. $\frac{1}{2}$ *l.*

I. niger, antennarum basi, fronte, pedibusq. rufis; scutello flavo, apice bifurcato.

*C. Infida. Fn. Etr.* 2. 80. 855.

Facies parvae *Muscae*, & vix duplo major *I. Muscarum*. Antennae nigrae, fractae, clavatae, articulo primo rufo flavescente. Caput postice nigrum, punctulatum. Thorax ad scutellum bifurcatus, maculaq. magna flava instar lunulae in-

cisa. Abdomen parvum, rotundum nigrum petiolo brevissimo. Tibiae posticae nigrae. Alae hyalinae puncto nigro, & apice fuscae.
Lectus in Citro medica.

* 92. ICHNEUMON CRASSICORNIS.

*Long.* 1. $\frac{1}{5}$ *l.*

I. niger, antennis basi rufis, crassis, septemnodiis, longitudine corporis.

Statura *I. Muscarum*. Caput nigrum subrotundum. Oculi magni prominuli. Antennae nigrae basi rufae, crassae, longitudine corporis, articulis septem extrorsum crassioribus, compressis, ultimo longiore attenuato, quas antrorsum inflexas gerit, & agitat. Thorax magnus, gibbus, ater. Abdomen thorace minus, ovatum, nigrum, aculeo non apparente. Tibiae anticae rufae. Alae albo-hyalinae puncto marginali nigro.
Habitat in plantis.

93. ICHNEUMON RAMICORNIS.

I. viridis, antennis ramosis. *F. Sp.* 441. 125.
*De Geer Ins.* 1. 589. *t.* 35. *f.* 3. 4. 5.
*Eulophus. Geoff. Ins.* 2. 313. 1. *t.* 15. *f.* 3
*Villers Ent. t.* 3. 212. 252.

Minor *I. Bedeguaris*. Antennae uti in figuris *De Geerii*, *&* *Geoffroy l. c.* ramosae, nigrae. Oculi in femina praesertim subrufi, post mortem fusci. Caput, thorax, abdomen auro viridia. Abdomen in masculis basi albo-hyalinum. Pedes omnes albi, at postici femoribus, tibiisq. apice nigricantibus. Alae albae immaculatae. Femina fere duplo major masculo, antennis simplicibus, aculeo vix, aut ne vix quidem exserto. Mea specimina conveniunt cum *Ichneumone* a *De Geerio* descripto l. c., & differunt ab *Eulopho Geoff.* antennarum colore semper nigro, abdomineq. basi albo-hyalino. An varietas? An species?
Habitat in Quercu, ibiq. etiam lectus, at prodierunt mihi

plures ineunte Novembre e fructibus infectis Oleae Europeae ad exclusionem *Muscarum* in vase asservatis.

### 94. ICHNEUMON RUFESCENS.

I. pallide-rufus, antennis fractis clavatis, thorace postice, abdomineq. nigris, macula alarum magna fusca. *De Geer Ins.* 2. 882. *t.* 30. *f.* 22. mala.

Statura, ac magnitudo praecedentis. Antennae fractae, clavatae, nigrae, articulo primo praelongo rufo. Caput nigrum laevissimum. Oculi atro-aenei. Thorax pallide-rufus, fascia nigra postica cinctus. Abdomen postice nigrum. Aculeus niger longitudine abdominis. Alae pone medium ad apicem maculatae, puncto atro marginali macula intruso. Pedes pallide rufi tibiis basi albo-fasciatis, tarsisq. posticis nigris. Saltat.

Quemadmodum *De Geerio* contigit, mihi etiam domi ante oculos obviam se dedit, digitisq. apprehensus bis fugam saltu adeo celeri petiit, ut nonnisi diligenti, ac improba perquisitione recuperare potuerim.

### * 95. I. FENESTRALIS.

I. rufus, capite, antennisq. apice nigris.

Est inter minimos. Nigra sunt caput, antennarum apices, & aculeus, reliqua rufa. Antennae longitudine dimidii corporis. Aculeus abdomine brevior. Alae incumbentes, puncto elongato majusculo nigro marginali. Non confundendus cum *I. Melanocephalo Schrankii* qui omnino diversus.

Pluries lectus in fenestris.

### 96. I. AGILIS.

I. apterus niger, pedibus rufis. *F. Sp.* 441. 125.

*Ichneumon* apterus niger, corpore oblongo, antennis pedibusq. bruneis. *De Geer t.* 2. 2. *p.* 903. *n.* 17. *t.* 31. *f.* 18. *Villers Ent.* 3. 215. 266. *I. Fuscicornis*.

Magnitudo minoris *Formicae*. Niger. Antennae subrufae longitudine corporis. Caput latitudine dupla thoracis. Thorax in duos labos fere aequales divisus. Abdomen oblongum.

Alae nullae. Aculeus longitudine dimidii abdominis. Pedes subrufi.

Lectus in Lauro Tino. Ponit ova in larvis *Ichneumonis Aphidum*. *De Geer l. c.*

## *Nov. Gen.* CXV. *XENOS.*

*Labium* breve medio setigerum. *Palpi* duo filiformes, compressi articulis inaequalibus. *Oculi* exserti, manifeste compositi. *Thorax* antice utrinq. appendiculatus pedunculo halteriformi. *Antennae* breves, vix capite longiores, duplici ramo instructae, ramis aequalibus, deflexis, compressis, quasi ensiformibus.

### * 97. XENOS VESPARUM.

X. ater, antennis brevibus, furcatis compressis: thorace lateribus antice appendiculato.

*Missus ad Societ. hist. natur. Paris. ann.* 1794. *publici juris fecit. Confer. Soc. Philom. de Paris. Bull. May, & Juin n.* 23. 24. *descr. n.* 22. *Icon. male exhibet.*

Insectum novi generis, *Ichneumoni* proximum. Totus ater fuliginosus. Caput parvum. Oculi valde prominuli, sphaerici, manifeste compositi. Labium breve, medio setigerum. Palpi duo filiformes longiusculi articulis duobus inaequalibus, primo brevi rotundo, altero elongato, compresso. Antennae breves vix capite longiores, in utroq. sexu duplici ramo instructae, ramis aequalibus, deflexis, compressis, quasi ensiformibus. Thorax lobo antico in collum veluti protractus, & singulariter utrinq. ad basin appendiculatus membranula, seu pedunculo instar halterum porrecto, cochleariformi; in medio latior, convexus, inaequalis, posticeq. admodum elongatus. Abdomen fere cylindricum, neq. petiolatum, neq. aculeatum. Femora, tibiaeq. posticae depressae, & breviores. Tarsi quatuor fusci, subtus albidi. Alae quatuor albae, longitudine abdominis.

Habitat in *V. Gallica*, proditq. declaratus Vespa adhuc superstite; Haec per aestatem apud nos frequens invenitur inter annulos occupata hoc singulari animalculo, scilicet abdominis segmento fere semper quarto irregulariter elevato, ac turgido una, & saepe binis, etiamq. tribus interpositis pupis. Hae pupae si acus ope, e loco penitus extrahantur, abruptoq. tegumento leniter deinde tunica, seu veste alba propria exuantur, mens. Aug. & Septemb. exhibent Insectum non raro jam efformatum, ac vivum, cui Vespae larva antequam cellulae clauderentur, forte incunabula dedisse videtur (*a*). Mirum quidem Vespas abdominis annulis unam, vel plures pupas gerentes, etiam post Insecti exclusionem manere posse superstites, at certum, transacto enim eo tempore ordinario exclusionis, Vespae fere omnes quae tum saepissime occurrunt, etsi satis alacres, dati domicilii fidem, tegumentis in annulo permanentibus indubiam faciunt. An larvae status in hoc Insecto brevissimus, thoracisq. Vespae inoffensio eam forte ab

---

(*a*) Hactenus frustra tentatum id a me investigare non minus excubias longas agendo Vesparum nidis incubationis tempore, quam repetita larvarum puparumq. sectione; immo vidi saepius quod si Insectum aliquod, & Formica praesertim etiam minima forte nidum propinquaret, illico Vespa una alterave insurgens, eam morsibus in fugam praecipitem adigebat. In nido tamen quo plures convenetant Vespae jam e cellulis exclusae, deprehendere datum individuum masculum gerentem in abdomine larvam, quae mihi se commonstravit e quarto segmento tantum post mortem Insecti. Mares huic molestiae magis obnoxii videntur quam feminae; ac de iis, uti alio etiam malo subiectis, liceat mihi opportune heic ludicram observationem referre. Cum eorum exta inspicerem, oculosq. acute armatos obverterem in appendices genitalia amplexantes, cochleariformes, ciliatas, apiceq. aculeato, (*conf. Rheaumurium*, & *De Geer t.* 2. 2. *t.* 26. *f.* 8. 9.) quas Vespa irritata exserere solet ab ano, non secus, ac si veri essent aculei pungentes, quamvis ad feriendum ineptae; contigit videre saepius admiratione quadam eas cum genitalibus infestari ab Acaris minimae speciei, albiq. coloris, quasi pellucidis, & in eo tantum loco hospitantibus. Conf. *V. Gallica Illustrat. in calce*.

interitu absolverent? Molestantur vero simili hospite etiam *V. Sexfasciata*, aliaeq. Vespae minores, sed rarius, proindeq. non uti *V. Gallica* accurate ad examen redactae.

Quamvis hoc meum Insectum antennarum forma differat ab aliis omnibus huc usq. cognitis, tamen nota haec unica, uti etiam ( contra *D. Geoffroy* opinionem ) in *I. Ramicorni* animadvertit *Cl. De Geer*, minus videri posset sufficere ad novum statuendum genus, si masculorum tantum propria esset, & characteres alii peculiares non simul concurrerent, inter quos omnino singularis est nota *thoracis quodammodo antice balterati*.

## 98. CHALCIS SISPES.

*Long.* 2. $\frac{3}{4}$ *l.*

C. nigra, femoribus posticis incrassatis, serratis, flavis, nigro maculatis, scutello piloso bidentato.

*C. Sispes Fn. Etr.* 2. 58. 802.

*Sulzer. t.* 27. *f.* 1. *Sphex Myrifex*.

*C. Sispedem petiolo flavo Fab.* numquam vidi. Haec quae nostratium omnium major, non satis adhuc recte descripta. Caput nigrum immaculatum, punctulatum, cinereo pubescens. Antennae nigrae. Thorax punctulatus, pubescens, niger, callo alarum flavo, scutello pilis canis penicillato, subtusq. bidentato. Petiolus brevissimus, niger. Abdomen nigrum, breve, subrotundum, apice retusum, primo segmento majori, glabro nitidissimo, reliquis cinereo subpilosis. Pedes quatuor antici flavi, ungulis, femoribusq. apice excepto, nigris. Postici flavi apophysibus elongatis nigris, femoribus incrassatis, serratis, macula magna nigra circumducta. Alae albae anastomosi, ac puncto marginalibus nigris. Mas variat abdominis apice minus retuso, femoribus posticis pro macula media, basin nigram fere usq. ad ejus medium gerentibus. Variat etiam, sed rarissime abdominis primo segmento, & macula media femorum posticorum rufis. *Obs. C. Minuta F.* hac duplo minor est, & mediae magnitudinis inter hanc, & *Pusillam*.

Habitat in plantis variis, & frequens in Pastinacae floribus.

### * 99. CHALCIS RUFIPES.

C. nigra, antennarum basi pedibusq. rufis, albo geniculatis, femoribus posticis incrassatis serratis.

Statura *C. Clavipedis Fab.*, seu *Sispedis Linn.*, at paullo major, antennaeq. nigrae basi, seu articulo primo subtus rufo. Pedes omnes rufi femoribus, tibiisq. albo geniculatis; reliqua omnia similia. An varietas? An species? Coloris diversi, ac vix magnitudinis notae unicae, in hoc genere species determinabunt? Certe apex abdominis in hac nostra etiam magis quam in *C. Clavipede* obtusus, sed proprius feminarum esse videtur, unde alia suspicio de femina *Clavipedis*; tempus declarabit.

Habitat cum aliis rara.

### 100. CHALCIS HESPERIDUM.

*Long.* 2. $\frac{1}{3}$ *l.*

C. atra, vertice capitis bifido, ore acuminato, femoribus posticis clavatis.

*Chr? Hesperidum Fn. Etr.* 2. 78. 852.

Facies, & habitus singularis. Magnitudo *C. Clavipedis*. Tota nigra punctulata. Antennae hujus generis, filiformes, in medio fractae, ad apicem paullo crassiores, deflexae, quae a scissura capitis emergunt. Caput nigrum punctulatum obscurum, vertice profunde diviso in duas partes, & in pectus retractum. Os acuminatum, eo modo ut exhibeat imaginem faciei indutae caputio poenitentiae. Oculi magni, prominuli, sublimes. Frons lata. Thorax angustior capite, elongatus punctulatus, obscurus. Abdomen sessile ovatum nitens, subtus fornicatum petiolo brevi. Femora omnia nigra nitida, posticaq. clavata globosa. Tibiae arcuatae apice acutissimae. Tarsi tenues, breves rufi. Aculeus sub fornice reconditus, ac reflexus. Alae hyalinae immaculatae. Volatus gravis uti in *Chalcidibus*.

Lectae primum tres, aut quatuor in plantis Hesperidum pa-

rieti innixis media aestate: mox per plures annos frustra investigatae; aliae demum non paucae in Coryli Colurnae foliis rursus adinventae.

* 101. SPHEX THORACICA.

S. atra laevis, thorace postice ferrugineo, abdominis segmento primo puncto utrinq., secundo macula fere in fasciam connata, ferrugineis.

Statura *S. Fuscae*, at paullo major. Atra laevis. Antennae nigrae undecim articulis. Caput atrum. Thorax ater lobo postico laete ferrugineo. Abdomen sessile oblongum atrum nitidum, segmento primo puncto utrinque, secundo macula magna fere in fasciam connata, ferrugineis. Pedes nigri. Alae atro-caeruleae, apice obscuriores.

Habitat in silvis rara.

* 102. SPHEX LAEVIGATA.

S. atra, thorace postice, tertioq. abdominis segmento albo-punctatis; corpore cylindraceo laevissimo.

Fere duplo minor *S. Rufipede*. Corpus atrum cylindricum, scilicet ubiq. ejusdem latitudinis. Caput deflexum fronte convexa laevi. Thorax elongatus, laevis, posticeq. ad imum marginem utrinq. albo-punctatus. Abdomen laeve subincurvatum tertio segmento albo-punctato. Alae apice fuscae.

Habitat in silvis.

103. SCOLIA BICINCTA. (*a*)

*Long.* 5, 6, 8, 10. *l. lat.* 1, 2, 2. $\frac{1}{3}$ *l.*

S. hirta, atra, abdomine fasciis duabus flavis, alis cyaneo-atris. *F. Sp.* 453. 11.

---

(*a*) Cum ob multiplices quae in hoc genere occurrunt varietates, non parum mihi allaborandum fuerit, ut nonnullas adhuc non satis bene perspectas species certius determinare potuerim, operae pretium duxi eas rursus heic exhibere non minus a me recens factis observationibus illustratas, quam & iconibus auctas.

*Fn. Etr. t.* 2. 71. 836.

*Descr. masculi*. Antennae nigrae, prismaticae, basi tenuiores, longitudine thoracis. Lingua trifida. Caput, & thorax atra immaculata. Abdomen sessile hirtum atrum, bifasciatum, fasciis duabus luteis ad basin secundi, tertiiq. segmenti, & in medio marginis superioris sinu unico, nunc magis, nunc minus excissis, abdomen haud subtus cingentibus. Anus trispinosus. Pedes nigri, hirti, tibiis atro-spinosis, anticis ad apicem pedunculo rufo instructis. Alae atro violaceae. Variat admodum magnitudine, fasciisq. magis minusve in medio sinuatis; variat fascia tantum unica postica, alteraq. interdum vix puncto indicata. Fascia antica semper paullo angustior postica, & lateribus interdum emarginata. Inter tot specimina a me examinata, unum tantum habui lunula lutea, quasi rudimento fasciae in quarto segmento notatum, sed tum etiam thorax semper immaculatus, ne confundatur cum masculo *S. Bifasciatae* satis admonet.

*Descr. feminae*. Major. Antennae nigrae breviores, apiceq. retortae. Fasciae abdominis fere numquam in medio sinuatae, sed prima semper brevior, & lateribus emarginata. Anus non trispinosus, sed retusus, aculeatus. Reliqua omnia similia. Vix, aut ne vix quidem variat.

Habitat in hortis, & silvis frequentissima.

### 104. SCOLIA INSUBRICA.

*Long.* 7. 8. *l. lat.* 1. $\frac{2}{3}$, 2. *l. vix*.

S. hirta atra, abdomine fasciis maculisq. binis ovalibus luteis, alis apice hyalino-violaceis. *Scop. Del. Fl. & Fn. Ins. fasc.* 2. *p.* 58. *t.* 22. *f.* 1.

*Fn. Etr. t.* 2. 72. 837. *Mant.* 1. 131. *Obs.*

*Descr. masculi*. Caput nigrum immaculatum. Oculi reniformes. Antennae rectae longitudine thoracis. Thorax niger macula utrinq. scapulari lutea. Abdomen oblongum maculis binis ovatis subconnexis luteis, posticeq. fasciis duabus concoloribus, prima latiori in medio excavata, alteraq. interdum labriformi. Pedes nigri hirti tibiis anticis ad

apicem pedunculo rufo instrùctis. Anus trispinosus. Alae ad basin, & costam ferrugineae, ad apicem violaceae. Variat interdum segmento etiam quarto puncto luteo notato, & macula lutea thoracis quandoq. fere inconspicua.

*Descr. feminae*. Caput pone oculos macula lutea saepius interrupta notatum. Antennae nigrae retortae, capite vix longiores. Thorax immaculatus. Anus retusus, aculeatus absq. spinis. Reliqua omnia uti in masculo. Maculae luteae primi segmenti paullulum diversae, scilicet in hac lateribus emarginatae. Variat fronte immaculata, aut punctis vix aspiciendis (*a*).

Habitat ruri, & in hortis frequens.

### * 105. SCOLIA BIFASCIATA.

*Long*. 7. 8. *l. lat*. 1. $\frac{2}{3}$ 3., 2. *l.*

S. hirta, atra, abdomine fasciis duabus, strigaq. oblique excavata luteis, alis cyaneo-atris.

*Descr. maris*. Statura, ac magnitudo masculi *S. Bicinctae*. Caput nigrum immaculatum. Antennae rectae longitudine thoracis. Thorax niger macula utrinq. scapulari lutea. Abdomen oblongum nigrum, segmento 1.° puncto utrinq., 2.° 3q.° fasciis in medio excavatis. 4.° striga nunc integra, & superius sinuosa, fere uti in masculo *Insubricae*, nunc interrupta, luteis. Pedes nigri hirti, tibiis anticis ad apicem pedunculo rufo instructis. Anus trispinosus. Alae cyaneo-atrae. *Obs*: cavendum ne confundatur cum masculo *S. Insubricae*, a quo praesertim differt segmento secundo fascia, non maculis; alisq. non ad basin, & costam

---

(*a*) Haec a nonnullis habetur pro masculo *S. 6-maculatae*, at mihi nunc omnino distincta, et, sane alter sexus prioris cum qua frequens cohabitat. *S. 6-maculata* occurrit tantum in certis silvarum locis, ubi frequentem vidi, et copiosam, at semper adeo similem ut in ea non minus quam in *S. Bimaculata*, et *Hortorum* sexum alterum tuto determinare non datum.

ferrugineis, sed totis atro-cyaneis. Tibiarum etiam spinae in eo ferrugineae, in hoc nigrae (*a*).

*Descr. feminae*. Antennae breves retortae. Caput nigrum stria frontis laciniata, & ad oculi sinum perducta, punctoq. altero pone oculos minutissimo luteis. Maxillae exsertae arcuatae. Thorax niger immaculatus. Abdomen nigrum primo segmento punctum utrinq. luteum minimum, ac non semper praesens: secundo, fascia lutea lateraliter puncto nigro marginali, interdum intruso: 3.° fascia lutea similis, absq. puncto in medio sinuata: 4.° striga lutea late interrupta, oblique sinuosa, ac superius recurva. Anus retusus, aculeatus, absq. spinis. Reliqua similia. Variat fronte immaculata, seu tantum punctis tribus; variat quarto segmento saepe immaculato, seu tantum strigae rudimentis notato, sed tum etiam satis distincta a femina *S. Bicinctae* segmentorum marginibus minus ciliatis, ac puncto laterali fere intruso fasciae anticae, quae in hac numquam brevior postica.

Habitat in silvis mens. Aug. sat frequens, at mas rarior femina.

### 106. CHRYSIS FERVIDA.

C. glabra aurea nitida, abdomine subtus atro. *F. Mant.* 283. 14.

---

(*a*) Nota haec quae constans est, aliis adiuncta optime inservire videtur non modo ad sistendam hanc speciem, sed etiam quodammodo ad confirmandam in hoc genere sexus differentiam, ab antennis, et ano desumtam. Videtur etiam magis, cum insuper observata sit constans coloris relatio inter tibiarum spinas, et alas minime variationi subiectas; scilicet tibiis atro-spinosis instructas esse tantum eas *Scoliarum* species quibus alae atro-violaceae sunt, uti a *S. Bicincta*, cui tantum haec nota communis est, comprobatur. In aliis speciebus, quibus alae aut totae ferrugineae sunt, aut in parte; etiam tibiarum spinae, saltem si adversa luce attente inspiciantur, rufae inveniuntur. Datam deniq. sexus distinctionem evincunt ova saepius inventa in abdomine earum quae gaudent ano retuso aculeato, antennisq. brevibus, retortis.

Nostra specimina magnitudine fere aequant *C. Ignitam*, & gaudent capite, thorace, pedibusq. viridibus. Abdomen subtus atrum, in medio subcarinatum; anus integer.
Habitat in plantis rarior.

107. Crabro Subterraneus.

C. thorace maculato, abdomine utrinq. maculis quinque flavis, pedibus ferrugineis. *F. Syst. Ent.* 374. 4. *Sp.* 470. 4. *Panz. Fn. German. Heft.* 111. 21.
Habitat flores in silvis.

* 108. Crabro Calceatus.

C. niger, antennis, abdominisq. segmentis margine flavis: pedum omnium tarsis ultimis inter ungulas membranula fusca insolenter aucta palmulatis.

Statura, ac magnitudo *C. Spinosi*. Caput nigrum labio, antennisq. flavo-rufis. Oculi glaucescentes. Thorax niger laevis, dorso admodum convexo, linea antica, puncto sub alis, lineola loco scutelli, punctisq. duobus ad latera postica flavis. Abdomen nigrum nitidum, segmentis margine flavis, subtus etiam continuatis. Pedes flavo-rufi femoribus primi, & secundi paris exterius nigra macula, omnesq. tarsis ultimis inter ungulas membranula fusca palmari insolenter aucta instructi. Alae subferrugineae ad marginem crassiorem versus apicem interdum obscuriores. Variat antennis nigris basi subtus flava, & femoribus omnibus nigro maculatis. Punctum ad latera postica thoracis non semper praesens, ultimumq. abdominis segmentum margine flavum, plerumq. occultatum. Differt a *V. Sexfasciata* magnitudine paullo minori, antennis brevioribus, oculis non lunatis &c.

Habitat in plantis, frequens sub vesperum in Artemisia campestre, Foeniculo, aliisq. m. Jul. & Aug.

### * 109. CRABRO ANNULATUS.

*Long.* 4. *l. lat.* $\frac{3}{4}$ *l.*

C. niger, abdomine flavo faſciato, geniculis nigris, antennarum apicibus flavis.

Magnitudo *C. Vagi*. Caput nigrum labio flavo. Antennae nigrae baſi, & apice flavae. Thorax niger lineola antica poſticaq. loco ſcutelli, punctoq. ante alae callum minutiſſimo flavis. Abdomen atrum nitidum ſegmento primo anguſtiore annulo flavo interrupto, reliquiſq. omnibus flavo marginatis. Femora nigra. Tibiae baſi flavae apice exterius nigro, interius flavo. Tarſi flavi geniculis nigris, ultimo toto nigro. Optima, ac conſtans nota eſt linea antica thoracis quae continuatur, & jungitur cum puncto flavo laterali ſub alis.

Habitat in ſilvis.

### * 110. CRABRO BICINCTUS.

C. ater laevis, abdomine faſciis duabus, primo ſegmento puncto utrinque, flavis.

Medius. Caput nigrum fronte ſub antennis, ore, palpiſq. flavis. Antennae ſupra nigrae, ſubtus ferrugineae, articulo primo flavo. Thorax niger linea antica, puncto ſub alis, biniſq. fere contiguis loco ſcutelli flavis. Abdomen atrum nitidum primo ſegmento coarctato, punctis duobus majuſculis flavis: 2.° flavo faſciato faſcia per medium excurrente: 3.° flavo marginato: reliquis immaculatis. Pedes flavi, antici femoribus nigro maculatis; poſtici, femoribus nigris, tibiis ferrugineis. Alae macula fuſca. An affinis *C. Tricincto Fab*?

Raro lectus.

### * 111. CRABRO CERAUNIUS.

C. niger, laevis, fronte flava, abdomine ferrugineo, luteo variegato; antennis cochleatim retortis.

Magnitudo *C. Uniglumis*. Caput nigrum fronte ore orbitaq. oculorum, flavis. Antennae nigrae, baſi, & in medio ſubtus flavae, capite paullo longiores, compreſſae, attenua-

tae, ac in modum cochleae valde contortae. Thorax niger linea antica, puncto sub alis, lineolisq. binis subconnexis loco scutelli, flavis. Abdominis segmenta 1. 2. 3. rufescentia maculis utrinq. tribus luteis obsoletis: 4. fascia nigra, reliqua flava. Pedes primi, & secundi paris flavi femoribus nigro maculatis. Postici flavi femoribus nigris. Alae apice fuscae.

Lectus in silvis.

### * 112. Crabro Pygmaeus.

C. niger laevis, thorace maculato, pedibus, maxillis, antennarumq. basi flavis.

Parvus, & *C. Clypeato* duplo minor. Antennae nigrae, basi flavae, capite breviores. Labium argenteum. Maxillae flavae. Thorax niger linea antica, scutelloq. flavis. Abdomen gibbum ovatum nigrum. Pedes flavi, femoribus, tibiarumq. apicibus nigris. Alae albae puncto marginali nigro.

Habitat frequens in Quercus roboris foliis.

### * 113. Apis Furax.

*Long. 5. l.*

A. nigra, fronte, thorace, tibiisq. griseo-villosis, abdomine subdepresso, segmentis duobus ultimis albo-fasciatis, tertio, & quarto tantum latere albis.

Magnitudo fere *A. Lagopodae*. Caput nigrum fronte, ac ore cinereo-pilosis. Thorax villo griseo magis tectus. Abdomen nigrum ovatum basi subpilosum, dorso depressiusculo glabro, segmentis quatuor ultimis albido-ciliatis, seu fasciatis, tertio, & quarto fascia late interrupta. Pedes nigri tibiis griseo-villosis. Affinis *A. Bicinctae D. de Paykull*, at diversa.

Adit flores, m. Maj. & Jun. frequens.

### * 114. Apis Glaucocincta.

A. griseo-pubescens, ore abdominisq. segmentis quatuor margine glaucis.

Magnitudo *A. Pubescentis*. Antennae breves nigrae, subtus fulvae. Caput nigrum pubescens ore glauco maculato. Thorax niger griseo-pubescens. Abdomen subdepressum segmentis quatuor apice nigris, glauco marginatis. Pedes nigri tibiis griseo-pilosis.

Habitat silvas.

* 115. FORMICA MORTUORUM.

F. ferrugineo-flavescens, oculis, antennarumq. apicibus nigris.

Longitudine vix *Pediculo* aequalis, at multo angustior. Tota flavescens praeter oculos antennarumq. apices nigros. Caput thorace duplo latius. Abdomen ovato-oblongum apice acutissimo. Aculeus niger. Glabra, laevis.

Habitat in arculis Insectorum, ibiq. tantum lecta saepius, ac semper visa eadem.

116. MUTILLA LAEVIS.

M. glabra nigra, dorso pedibusq. rufis, abdominis segmento secundo, quintoq. margine albis. Alata. *D. Latreille. Act. de la Soc. d' Hist. Natur. de Paris. ann.* 1792. *t.* 1. *p.* 1. *pag.* 11. *n.* 12.

Parva, & fere dimidio minor *Sph. Concinna Fn. Etr.* 2. 66. 825. quae huc referenda. Antennae supra nigrae, subtus obscurae, capite paullo longiores, articulo primo baseos crassiori, & inferius albido. Caput nigrum laeve, ore lineolaq. ante oculos albidis. Oculi pallidi. Thorax rufus. Abdomen oblongo-ovatum, apice acutum nigrum, laeve, nitidum, primo segmento puncto utrinq. albo: 2.° majori, margine albo fasciato, fascia in medio attenuata, seu lateraliter aucta; quinto vix albo marginato. Pedes antici rufi, femoribus basi nigris: medii rufi femoribus nigris: postici nigri tarsis rufis. Alae superiores obscurae. Variat magnitudine minori, thorace nigro antice albo lineato, segmentis primis duobus abdominis rufis; reliqua omnia similia. Mas?

Quamvis haec nostra paullulum variare videatur a *Mut. Laevi* descripta a *D. Latreille l. c.* tamen de identitate, aut affinitate summa minime dubitari potest; differt enim tan-

tum segmento abdominis primo, in meis speciminibus, albo punctato. Assentior autem Cl. viri opinioni *Sph. Concinnam Fn. Etr.* omnino hujus generis esse, & una cum hac affinitatem mediam habere inter *Mutillas*, & *Crabrones*. Differentia enim maxima in capitis, oculorumq. forma consistit, qua magis ad *Crabrones* accedit.

Habitat m. Jul. in locis iisdem arenosis ubi inveniuntur. *M. Europaea*, & *Maura*.

### * 117. Mutilla Catanensis.

M. nigra, thorace rufo, abdomine maculis sex albis distinctis.

Statura, ac magnitudo omnino *M. Maurae*. Caput antennaeq. nigra. Thorax rufus immaculatus. Abdomen nigrum maculis duabus secundi segmenti majoribus, rotundis; posticisq. quatuor lateralibus oblongis, quasi in fasciam late interruptam connatis, albis. Subtus tota nigra.

Misit vir egregius *D. Hieronymus Recupero Catinensis*.

### 118. Mutilla Calva.

*Long. 5. l.*

M. hirta nigra; occipite, thoraceq. rufis, abdominis segmentis margine albis. (aptera). *Latreille Act. de la Soc. d' hist. nat. de Paris.* 1792. *t.* 1. *p.* 1. *pag.* 10. 8.

*M. Calva*, occipite thoraceq. rubris. *Villers Ent.* 3. 343. 9. *t.* 8. *f.* 34.

Statura *M. Maurae*, uti in descript. *D. Latreille l. c.*, at mea specimina magnitudine accedunt ad *M. Europaeam*. Antennae subnigrae. Caput hirtum (in meis) majusculum rufum labio nigro, mandibulis nigris apice late tridentatis. Tuberculum nigrum acutum utrinq. ad basin antennarum. Thorax hirtus rufus. Abdomen nigrum hirtum basi utrinq. denticulo instructum, segmentis margine albis, 2.°, & 3.° fasciis latioribus. Anus aculeatus. Pedes subnigri apophysibus femorum posticorum denticulo subtus armatis.

Habitat Pisis non frequens.

# OPERIS

## EMENDATIONES AC ILLUSTRATIONES

F. E. indicat *Faunam Etruscam*, M. *Mantissam* significat.

F. E. t. 1. p. 2. §. 2.
Luc. Capreolus? „Nota „ *Luc.* a *D. Herbst* exhibitum *Natur. S. t.* 33. *f.* 4. 5. sub nomine *L. Hirci* credit Celeberr. *Hellwig* in annot. *Fn. Etr. ed. Helmst.* a *Fleckeisen* 1794. at mihi nullo modo pro var. min. *L. Cervi*, assumendus.

F. E. t. 1. p. 7. §. 16.
Scarab. Irroratus „Dele „ Synonymon *Sc. Moeris*, & conf. *Sc. Furciferum M. t.* 1. *p.* 7. §. 7. Vide etiam quae heic relata subiungimus.

M. t. 1. p. 7. §. 7.
Scarab. Furcifer. „ Adde „ *Sc. Irroratum*, & *Sc. Furciferum* unam eamdemq. speciem esse ex observationibus nuper factis evidenter mihi nunc constat, ideoq. nomen *Sc. Furciferi* excludendum, retinendumq. tantum illud *Sc. Irrorati*. In *Sc. Furcifero* scil. var. masculi, notae constantes sunt pedes antici longiores femoribus bidentatis absq. tarsis; caput muticum; tibiae medii paris latere externo emarginatura notatae. In *Sc. Irrorato* seu femina pedes antici non longiores, sed tibiis validioribus, femoribus inermibus, tarsisq. brevissimis instructi; capitis clypeus corniculo semper armatus. Furca pectoris ( quae tantum propria masculi ) character valde inconstans. Nota vero utriq. communis est pulvinar, seu penicillus ex pilis atris compositus, qui inesse observatur latere

interno femorum anticorum ad juncturae sustentandum attritum destinatus. Maxillae membranaceae latera oris includentes post esum facile apparent magnae, subrufae. Color corporis in utroq. sexu saepe niger, at plerumq. elytra, non thorax, rufo submaculata. Pro lamina cuneiformi in masculo, plerumq. dens simplex. An *Sc. Clivias Fab.* qui mihi ignotus? *Obs*: Pedes antici longiores femoribus dentatis ad arctiorem copulam sustinendam idonei, notam systematicam suppeditare videntur ad dignoscendum sexum masculinum. Mox saepe lectus uterq. mens. Jul. in locis arenosis sub stercore bovino recenti.

F. E. t. 1. p. 4. §. 6. Scarab. Dispar. „ Adde „ *Sc. Dispar. Oliv. p.* 58. *t.* 3. *f.* 20. *a. b. c.*

M. t. 1. p. 9. §. 12. Trox niger. „ Nota „ Missus e Saxonia sub nomine *T. Arenarii*, sed descriptio a *Fabricio* data parum convenire videtur, & in Svecia judicatus novus.

F. E. t. 1. p. 19. „ Adde „ *Melol. Castanea Herbst N. d. k.* III. *n.* 35. *tab.* 23. *f.* 2. Statura, ac magnitudo fere *M. Ruficornis*, qua obscurior, clypeo nigricante. Habitat Pisis frequens Maj. m.

F. E. t. 1. p. 25. §. 57. Cet. Speciosissima „ Not. „ *Cet. Fastuosa Fab. Ent. Syst.* 1. 127. 9. *Schwarz. Nomencl. Roesel. Insect.* 64. 27.

F. E. t. 1. p. 26. §. 59. Cet. Eremita „ Nota „ *Trich. Eremita Fab. Ent. Systematica*.

M. t. 1. p. 12. §. 20. Hist. Maculatus „ Nota „ Elytra praeter maculam nigram baseos inaequalem bilaciniatam notantur latere antico puncto majusculo nigro. Semper lectus in arboribus putrescentibus, etsi errore dictum in *Mantissae l. c.* occurrere in stercore bovino.

M. t. 1. p. 14. §. 25. Hist. Parvulus „ Adde „ *Hist. Picipes. F.*

M. t. 2. App. p. 80. §. 8. Derm. Denticulatus „ Leg. *D. Sexdentatus F. Ent. System. t.* 1. *p.* 232. 26. *Ips 6-dentata Herbst Arch. t.* 20. *f.* 21? Insectum adhuc dubii generis.

F. E. t. 1. p. 38. §. 92. Bostr. Bidentatus „ Nota „

*Synodendron Muricatum*. *F. Ent. Syst.* Confer *Not. & Add. Fn. Etr.* Iconem exhibet *D. Petagna Inst. Entom. t.* 10. *f.* 3.

F. E. t. 1. p. 34. §. 82. M. 1. 16. 30. D? Dentat. „ Not.

*Tillus Serraticornis*, ater elytris testaceis, antennarum articulis tribus ultimis serratis. *F. Oliv. Ent.* 22. 2. *t.* 1. *f.* 2. *a. b. c. d.* Similis *T. Elongato*, at minor. Antennae nigrae, basi filiformes, articulis tribus ultimis majoribus serratis. Caput subvillosum nigrum. Elytra testacea. Insectum cum aliis quamplurimis a me primum transmissum ad *D. D' Antic. Bosc. Paris.*

M. t. 1. p. 17. §. 24. Derm. Dubius „ Lege „

*Derm. Sanguineus*. *Attelab. Sanguineus Giorna Kalend.* 48. 10.

F. E. t. 1. p; 45. §. 110. Br. Seminarius „ Corr. „

Antennae quasi pedunculatae, crassae nigrae basi rufae. Thorax antice attenuatus lateribus cinereis. Elytra substriata nigra, cinereo veluti bifasciata, paullulum abbreviata. Ani regio, & abdomen cinerea. Pedes mutici, antici quatuor rufi. *Long.* 1. *l.* Iconem exhibet *D. Villers Ent. t.* 1. *f.* 19. Aliud habeo specimen magnitudine vix praecedentis, scilicet niger, elytris obscuris, antennis serratis, pedibusq. quatuor anticis rufis, scutello albo; forte *B. Serraticornis D. Quensel*. Saepe lecti in foliis Viburni Tini, m. Aug. & Septemb.

F. E. t. 1. p. 49. 121. Ips Crenata „ Adde „

*Lygdus Crenatus*. *F. Ent. Syst.*

F. E. t. 1. p. 49. §. 122. Ips Taxicornis „ Adde „

*Hypoplaeus Castaneus*, laevis nitidus castaneus antennis nigris. *Fab. Act. hist. Nat. Paris.* 1792. *p.* 34. 1. *Hispa Picipes Fab. Mant. Ips Taxicornis Oliv. Cerniterius Herbst. Arch. t.* 21. *f.* 6.

F. E. t. 1. p. 50. §. 123. Ips Linearis „ Adde „

*Colydium Elongatum*, atrum pedibus ferrugineis. *F. Act. hist. Nat. Paris.* 1792.

*Bostr. Elongatus F. Mant. Ips Linearis Oliv.* 2. 18. 53. *t.* 2. *f.* 17. *Panz. Fn. Germ.* 1. *Heft. t.* 17.

M. t. 1. p. 22. §. 50. Ips Fallax „ Nota „ *Lygdus Nitidus. F. Ent. Syst. Panzer Fn. Germ.* VI. *Heft. t.* 18.

F. E. t. 1. p. 52. §. 128. Hisp. Testacea „ Adde „ *H. Testacea Petagna Inst. Ent. t.* 1. *f.* 10.

F. E. t. 1. p. 52. §. 130. Hispa Pomaticor. „ Nota „ In multis convenit cum *H. Mutica Linn. & Fab. Panz. Fn. Germ. Heft.* VI. *t.* 8. an esse posset varietas?

F. E. t. 1. p. 55. §. 136. Silp. Russica „ Adde „ *Ips Nigripennis*, rufa antennis, elytris pectoreq. nigris. *F. Erotylus Russicus Oliv. Ins.* 89. *t.* 1. *f.* 1. *Herbst. Arch. t.* 43. *f.* 9. *Confer Act. Soc. hist. Nat. Paris. ann.* 1792. *p.* 29.

F. E. t. 1. p. 58. §. 142. Nit. Punctata „ Adde „ *N. Lunata Oliv. Ent.* 22. *t.* 3. *f.* 26. *a. b.*

F. E. t. 1. p. 68. §. 171. Cocc. 4-pustul. „ Adde „ Vidi & ipse saepius copula connexam cum femina *C. 2-punctatae*.

F. E. t. 1. p. 83. §. 208. Chrys. Dytiscoid. „ Nota „ *Diaperis Violacea F. Ent. Syst.*

M. t. 1. p. 30. §. 72. Chrys. Gemell. „ Adde „ Colore variat aeneo, & atro-caerulescente. Habitat in Hyperico perforato.

F. E. t. 1. p. 99. §. 252. Crypt. 4-pustul. „ Nota „ *Chrys. 4-pustulata Linn., & Ips Rufifrons Fab.* insectum idem designant quod variat apud nos sed rarissime elytris rufo octo-pustulatis, scilicet 1. puncto baseos majusculo, 2. in medio ad marginem exteriorem, 3. ad apicem ex duobus comcosito, 4. rotundo apicis. Variat etiam admodum magnitudine. Antennarum forma hoc Insectum a *Cryptocephalis* removet, & ad genus *Ips* amandare videtur.

